

Antoni Cobos Fajardo (ed.), Joan Ramon Ferrer, *De pronomibus suiue natura* (1477), Bellaterra, Publicacions de la Universitat Autònoma de Barcelona (Microfitxa), 2000.

LIBER TERTIVS: DE PRONOMINVM QVALITATIBVS.

Prohemium.

Quoniam de quattuor pronominum declinationibus nominibusque secundae quartaque declinationis eorum normam sequentibus, et de partibus etiam indeclinabilibus abinde profluentibus, et compositis et connexis satis plene dictum esse puto, in tertium librum transiens pronominis qualitates adoriar.

I. Qualitas pronominis quid est.

[1] Qualitas pronominis est accidens eius praecipuum et quasi substantiale et ad eius inuentionem spectans. Ad hoc enim pronomen est inuentum, ut demonstret uel referat faciatue utrunque. Vnde Petrus Heliae primo minoris circa medium (Reilly 928) quaerit quare demonstratio et relatio inter pronominum non enumerantur accidentia, cum ipsa quoque pronomini dicantur accidere. Et soluendo respondet quod grammatici substantialia dictioni apellant, quaecunq; ad eius inuentionem spectant. (2) Accidentia uero dicunt quae illius inuentionem non concernunt. Demonstratio autem et relatio ad inuentionem pronominis pertinent, propter hoc enim pronomina sunt inuenta. Itaque et praecipuum pronominis accidens appellatur, in consequentibus demonstratio etiamque relatio. Vel dic quod accidentia generalia uolunt esse omnibusque conueniunt, sed non omne pronomen demonstratiuum est, nec omne relatiuum.

[2] Duae profecto sunt pronominis qualitates, demonstratio et relatio. Demonstratio est uel oculis uel intellectui certa rei representatio. Duplex est demonstratio, altera ad oculum, altera ad intellectum. Demonstratio ad oculum fieri dicitur quando res ut sensui subiecta demonstratur, et ita caeco res quasi oculis subiecta demonstrari fertur; (2) demonstratio uero fit ad intellectum quotienscunq; res solo comprehendenda intellectu demonstratur. Relatio uero est rei antelatae recordatio. Et de his qualitatibus per Petrum Heliae et Prisciani expositorem utrunque in XII maioris (12, 4) primoque minoris (17, 30) examinatur plenissime.

[3] Inter demonstrationem autem et relationem secundum Priscianum XII^o maioris, post principium (12, 4), est differentia: «Quod demonstratio interrogatione reddita primam cognitionem ostendit, ut *ego hic*, ut *quis fecit? ego hic*. Relatio uero secundam. cognitionem significat, ut *is* de quo iam dixi. Iure igitur *hic*, quod primam cognitionem indicat, praepositur, unde et praepositium nominatur. (2) *Is* autem, quod secundam. cognitionem notat, subiungitur, unde et subiunctiuum nuncupatur. Nec immerito, cum in primae cognitionis memoriam redigat, ut si dicam *Aeneas filius fuit Veneris, is est qui uicit Turnum*. (3) *Ipsa* quoque in tertia persona per se positum ad recordationem iam cognitae refert personae. Igitur demonstrationem recte quae per *ille* et *iste* pronomina denotatur, pronomen *ipse* reducit memoriae, non tamen *ille* et *iste* ad pronomen *ipse* referri possunt, prima nanque per pronomina demonstratiua est cognitio, secunda uero per relatiua. (4) Hoc idem pronomen *ipse* quidam commune existimarunt, quia tribus personis adiungitur, *ego ipse, tu ipse, ille ipse*, hoc tamen uerum non est. Figurata quidem uel significantiae uel discretionis causa personae primae secundaeque adiicitur».

[4] Idem Priscianus in eodem XII^o (12, 1), paulo ante quaerit qua de causa cum prima quidem secundaque persona singula habeant pronomina, sex diuersae uoces tertiam indicant. Ad quod respondendum esse dicit quod «Prima et secunda diuersis uocibus ideo non egent, quia semper inter se praesentes sunt, et demonstratiuae quoque. (2) Tertia uero persona modo demonstratiua, ut *hic* et *iste*, modo relatiua est, ut *is, ipse*, modo praesens uel iuxta, ut *iste*, modo absens uel longe posita, ut *ille*. Si enim super omnes alias orationis partes pronomen personas finit et determinat, rectissime tertiarum quoque personarum diuersitas distincte specificaeque profertur, quippe cum in eis plurimae sint differentiae. (3) Tertia uero persona, quae est *sui, sibi, se, a se*, genera numerosque confundit. Nec mirum, nam cum relatiua sit, ex cognitione possumus antecedenti scire, ad quod genus numerumue refertur, id

quod in genere primae secundaeque personae ipsa demonstratio et praesentia utriusque facit. Sunt autem pronominum alia demonstratiua, alia relatiua, alia demonstratiua et relatiua simul. (4) Unde fiunt certae notabilesque personae; profecto primae personae secundaeque pronomina semper demonstratiua sunt. Vtraque enim praesens esse ostenditur et loquentis et eius ad quem sermo sit. Tertiae uero, aliae demonstratiua, ut *hic, iste*, aliae relatiuae, ut *is, sui*, aliae modo demonstratiuae modo relatiuae, ut *ille, ipse*. (5) Quod *ille* demonstratiuum sit Terentius in *Eunuco* (754) testatur:

"Viden tu illum, Thais?"

Virgilius in VII^o (*Aen.* 7, 110):

"Sic Iuppiter ille monebat"

(6) *Ipse* uero si per se proferatur in tertia persona relatiuum est, Virgilius in III^o (*Aen.* 3, 618-19):

"Ipse arduus altaque pulsat
sydera".

Si uero cum aliis pronomibus iungatur, eorum significationem recipit, ut idem poeta in V^o (*Aen.* 5, 864):

"Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo".

Est enim hic demonstratiuum, quoniam et *ego*, cui adiungitur, demonstratiuum est. (7) Inuenitur tamen absque aliis per eclipsim prolatum saepissime. Et tamen eorum quae cum eo subaudiuntur, significationem habet, ut Virgilius in II^o *Aeneidos* (2, 5):

"Quaeque ipse miserrima uidi",

subaditur enim *ego*, quamuis uerbum primae personae, id est *uidi, ego* subintelligat.»

[5] Idem Priscianus in XIII^o (13, 22), in cartae quintae principio, de pronomibus absolutis docens, sic ait: «Illud etiam sciendum, quod omnia pronomina apud Latinos absoluta sunt et tam praepositua quam subiunctiua rectique accentus: *ego dico, dico ego, tu dicis, dicis tu, ille dicit, dicit ille. Absoluta autem dicuntur, quae cum aliis sociari possunt uel non, nam dicendo ego dico* possum et solus intelligi et cum alio.

(2) Solet tamen addita *-met* plerunque significantiam uel discretionem ostendere, quam Graeci *diastolen* dicunt: *egomet*, id est ego et non alius. Nec non etiam *ipse ego* uel *egomet ipse*, ut Terentius in *Adelphis* (628):

"Egomet rapui, ipse ego solui argentum",

id est *ego et nullus alius*»

[6] Idem Priscianus in XIII^o, carta III^a (14, 12), ubi de eo quod praepositiones praeponi debeant, sic inquit: «Inueniuntur tamen in aliis partibus et praeposituae, non tamen semper nec omnes ad eandem speciem pertinentes, ut *ne* aduerbium dehortandi, et *hic* aduerbium praeposituum, quod tamen licet etiam postponere, ut *hic homo* et *homo hic*, nulla ordinis confusione, tam a poetis quam a sine metro scribentibus bene dicitur. Iure igitur sola haec, id est praepositio, a loco quem proprium possidet, nomen accepit.»

[7] Idem Priscianus in primo minoris, carta XVI (17, 56), ubi de pronomibus seu horum proprietatibus, § *Accidit pronomini*, sic ait: «Accidit pronomini relatio in tertia persona, per quam praedicta nomina pronominantur, id est per pronomen significantur, ut "Iuppiter postquam Troas nauibus appulit, ipse reiecit claros oculos" (cf. Hom. *Il.* 13, 1-3). (2) Et sciendum, quod demonstratiua pronomina non aliquorum praedictorum loco nominum quomodo relatiua, sed eorum quae demonstratiue proferri non possunt, accipiuntur. (3) Relatiua uero praedictorum quidem loco nominum, sed quae iterum accipi non possunt, si quis enim pro *ipse reiecit claros oculos* ponat iterum *Iuppiter*, non colligit duas orationes ad Iouem, sed quasi principium facit alterius orationis. (4) Potest autem proprium nomen ad diuersas referri personas, ut si dicam *Ajax uenit ad Troiam et Ajax fortiter pugnauit contra Troianos*, dubium est an de eadem persona dicam, cum duo eiusdem nominis fuerint, ad quos supradicti actus pertinere possint. Si autem dicam *Ajax uenit ad Troiam et idem fortiter pugnauit contra Troianos*, de una intelligo persona. (5) In omnibus igitur relatiuis pronomibus una eadenque oratio est ex supradicto nomine pendens. Licet autem pro relatiuis pronomibus nomina ponere et orationem mutare, ut *Iuppiter tonat, Iuppiter fulminat*; hae enim orationes singulae per se proferri possunt, et inuicem conuerso ordine praepostere dici, cum non ad priorem referatur secunda, quod facit pronomen relatiuum quod ad praedictum nomen refertur. (6) Itaque quaedam sunt oculorum demonstratiua, ut *ego, tu*; quaedam oculorum et intellectus: oculorum ut Virgilius in VI (*Aen.* 6, 792):

"Hic uir, hic est tibi quem promitti saepius audis";

intellectus, ut

"Hic pietatis honos? sic nos in scepra reponis?"

»[8] Praeterea sola pronomina diuersis uocibus diuersas tertias personas faciunt, cum uerba una uoce ad plures personas pertineant. Dicimus enim *scribit Probus* uel *seruus*, uel quicumque hunc actum potest suscipere, non tamen hoc est in pronomibus. Nam relatiua quidem sunt *ipse* uel *is* uel *sui*, quod est primitiuum, demonstratiua uero *hic*, *iste* uel *ille*. (2) Sed interest, quod *ille* spacio longiore intelligitur, ut Terentius in *Eunucho* (754):

"Videsne tu illum?",
iste propinquiore, ut *iste tuus filius*.

II. De ille uel hic demonstratiuo. De abusionibus pronominum.

»[1] *Hic* autem non solum de praesente, uerum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem, ut praedictum est, ut

"Hoc regnum dea gentibus est",
Virgilius in I^o (*Aen.* 1, 17) ad absentem Karthaginem retulit demonstrationem.

»[2] *Iste* plerumque ad oculorum demonstrationem profertur. Virgilius in VI^o (*Aen.* 6, 37):
"Non hoc ista tibi tempus spectacula poscit";

»[3] Inueniuntur tamen hoc et de absentibus protulisse auctores, uel de his, quae cerni non possunt, ut supradictum est, Virgilius in X^o (*Aen.* 11, 509-10):

"Sed non sunt omnia, quando
iste animus superat";
Terentius in *Adelphis* (754):

"Iste tuus ipse sentiet

postremo",
cum de absente Aeschino dicat.

»[4] *Ille* quoque, cum est relatiuum, potest tam de absente quam de praesente accipi, ut (Verg. *Aen.* 7, 110):

"Sic Iuppiter ille monebat"

et

"Tunc ille Aeneas?" (Verg. *Aen.* 1, 617),

"Ille ego qui quondam gracili modulatus auena." (ps. Verg. *Prol. Aen.* 1, 1)

»[5] Licet tamen per figuram conuersionis, id est, per *apostrophem*, absentis quasi praesentis uti persona secunda loquendo, ut Iuuenalis in II^o (2, 6, 611-12):

"Tunc duos una, saeuissima uipera, cena?
tunc duos?"».

III. De abusione sui.

[1] Nec mirum auctores circa haec pronomina huiusmodi abusionibus fuisse usos. Cum *sui* cuius propria natura sit reciproca, ut una persona in se actu reciperet, id est ut una eademque persona respectu unius eiusdemque uerbi agens sit et patiens, ita quod actum uerbi in se exerceat, ut *Ioannes miseretur sui*, uel *sibi*, *amat se*, *amatur a se*; retransitiue seu improprie apud esodem auctores saepenumero collocetur. (2) Vna nanque persona in se ipsam non agit, sed in alia, quae in illam retransit actumque retorquet, ut *Ioannes orat me ut sui*, uel *sibi*, *miserere*, uel *se diligam*, uel *se potiar*. Et ita *sui* pro *eius*, *ipsius* et *illius* stare dicatur ac etiam exponatur. (3) Adeo ut ars ei uulgo duplicem naturam reciprocam retransitiuamque assignet, ut Priscianus VIII, XII, XIII^oque maioris et primo minoris et Petrus Heliae expositorque uterque super ipsis libris, praesertim Petrus Heliae super XIII, testes sunt eximii. Et ego supra in ipsa magna epistula, in primis VII rationibus, plenissime ressero (cf. *supra*, *De sui* §§ 1-17; 20-32; 37-38). (4) Et eadem ars propter possessiuum *suus*, *-a*, *sui* deriuatum, naturam retransitiuam adiungit; quippecum possessor in possessionem transeat, ut *Ioannes Raimundus sui serui miseretur*, uel *suo seruo parcat*, uel *suos libros diligit et peramat*, uel *suus libris fruitur*, ut in primo minoris, § *Et relatiua*, uersu *Nos uero primitiuis*, Priscianus et ibi scribentes attestantur, et in eius epistulae VIII^a ratione dico. (5) Et has tres naturas huius pronominis primitiui *sui* et deriuatiui *suus* Laurentius Vallensis in suo opusculo *De reciprocatione sui suusque* explanat, et ego eum in VIII^a ipsius epistulae refero ratione. Consequenter Laurentius explicat quomodo soloecismus in *sui* et *suus* admittatur, et quattuor causas conscribit, secundum quas *sui* et *suus* pro *eius* uel *ipsius* uel *illius* abutamur, et quod *sui suusque* pro *eius*, *ipsius* *illiusque*

ponantur. Et aliquando *se* constitui ubi *eum* proprie ponere deberemus, et econtrario. (6) Idem in capitulo IX declarat cur *eius, illius et ipsius* pro *suus* abutatur et omnino de *sui suusque* abusu pro *eius, ipsius et illius* etiamque econtrario. Qui in X^o docet capitulo quo pacto amphibologia *sui suusque* uitari possit. Et ibi Quintiliani auctoritati notat Ciceronem *sibi* pro *ei* posuisse. Quae omnia in ipsius epistulae X^a, XI^a, XII^a et XIII^a ratione textus etiam Laurentii ad uerbum referens, accurate pleneque dilucido. (7) Subinde in XIII^a ratione Laurentii, doctissimi quamacutissimique uiri, auctoritate praecipio et expono quando indifferenter et quando differenter his pronomibus *sui, suus, eius ipsiusque* utamur. Denique in 15^a ratione secundum Laurentium in capitulo penultimo doceo qualiter *sui suusque* in *is, ipse, illeque* construendo resoluant.

[2] Verum enimvero posthac XVI adiicio rationem (cf. *Supra, De sui* §§ 40-55) in omnibus coniunctis, a Laurentio Vallensi dictis fundatam, ubi pleraque nostrum propositum principale confirmat, ut *sibi* pro *ei* uel *ipsi* collocari possit, cum ipse in IIII^o capitulo doceat, qualiter in *sui et suus* soloecismus admittatur. (2) Et ibi antipoforizando dico quod licet soloecismus uicium quiddam et improprietatem redoleat, tamen eam Priscianus, peritissimus praeceptor grammatices, persaepe suis in praeceptis approbet. Et illa saepe et multum summique auctores usi fuerint. Vsqueadeo ut apud eos regulae super *suus* a Laurentio positae saepe deficient, ut in ipsa XVI et XVII et XVIII perspicere poterit ratione, ubi multas repraesentationes de Prisciano, factas a Laurentio super hac re, indignas fuisse colloco ante oculos. (3) Et Priscianum recte scripsisse probo, et ita intentionem meam facio clariorem, quam deinde per XXXVIII rationes innumeris exemplis Ciceronis, Salustii, Titi Liuii, Suetonii, Iustini multorumque iureconsultorum, uelut quamplenissime confirmatam, plusquam indubitata reddo, ut nemini uel ignarissimo in dubium reuocari possit. (4) Praesertim cum et ipse Laurentius, bonae latinitatis accuratissimus obseruator, etiam in opere *De Elegantiis*, libro III^o, capitulo XXX^o, in fine, *se* pro *eum* retransiuitue improprieque constituat, ubi sic inquit: «Ille nec nocuit mihi unquam nec me adiuuit aut ego nec offendi se nec eidem profui», hic enim manifeste *se* pro *eum* debet exponi.

IV. De differentia inter pronomina et nomina demonstratiua.

[1] De pronominum abusionibus quae ad pronominum qualitates admodum faciunt, satis dictum est. Ad eorum qualitates, unde commode digressa est, nostra reuertat oratio. Priscianus itaque circa finem XIII^o (13, 33), de demonstratiuis pronomibus, nominibus aduerbiisque explanans, et differentiam inter demonstratiua nomina et pronomina manifestans, perclare sic inquit: (2) «Hoc tamen interest inter demonstrationem nominum et pronominum, quod id quod demonstratur per pronomen solum ostenditur per se nec ad alium pertinet extrinsecus. Quod uero per nomen, non solum ipsorum quae ostenduntur, sed etiam illorum ad quos refertur, demonstrationem habet, ut *talis Pirrhus apparet qualis pater eius*. Et quod pronomina demonstratiua in eodem genere et numero manent eorum quae demonstrantur. (3) Nomina uero demonstratiua possumus diuersa ostendentes ad diuersa referre, ut si aspicientes mare dicamus *talem esse Nilum*, cum sit *Nilus* masculini, *mare* autem neutri. Vel si quis dicat, statuum Herculis cernens, *tanti fuerunt mei parentes, quantus iste Hercules*, cum enim unum aspiciat, plurali uti potest numero». (4) Et infra (13, 34): «Tria sunt autem demonstratiua nomina: *talis, tantus, tot* et quod a pronomine et nomine componitur: *huiusmodi* uel *huiuscemodi*. Vnde hoc quoque aliud intrinsecus demonstrat, id est substantiam et aliud extrinsecus intelligitur, id est qualitas, quam per se pronomen sine adiunctione nominis habere non potest. (5) Sciendum tamen quod *qualis, talis, tantus* et *tot*, si ad praesentes dicantur, etiam demonstratiua sunt, sin autem absentes relatiua uel redditua tantum, ut *qualis Hercules, talis Theseus fuit*.»

[2] Hoc de Prisciano dictis ad pronominum qualitates, id est demonstrationem relationemque, spectantibus, satis sit, nunc de quibusdam Petri Heliae commodioribus super re ipsa pulchrioribusque dicemus. Petrus igitur Heliae super XII^o maioris, carta 2^a (Reilly 630), docet: «Illud quoque uidendum est, quod cum *hic* et *iste* demonstratiua sint, differunt tamen, quantum si *iste* proprie accipiatur, rem oculis subiectam demonstrat. *Hic* autem et eandem et eam praeterea, quae sola animi ratione concipitur, demonstrat.

[3] Idem Petrus Heliae de *ille* primo minoris, circa medium (Reilly 958), quaerit, ex quo dinoscitur quando demonstratiuum et quando relatiuum sit, ad quod dicendum ait: «Quod *ille* semper habet oculorum demonstrationem, quotiens igitur uidet, quod non significat rem, quasi oculis subiectam, relatiue ponitur, et tunc necessarium est semper sequi relatiuum qui ut *tu es qui curris*, tu dic

quod non semper est necessarium, nam dici potest *tu ille facis*. (2) Potest tamen, et hic intelligi demonstratione oculorum debet, quotienscunque demonstratiuum est, semper relatio erit ad ipsum in tertia persona. Si uero relatiua ponatur, potest conformari relatio in eadem persona cum praecedenti, ut *tu es ille qui curris* (3) Illud quoque quarendum: quare *ille* cum prima et secunda persona positum, magis relatiuum sit quam demonstratiuum, cum enim *ego ille* uel *tu ille* dicimus, relatio fit, necnon cum nominibus in tali constructione relatiue ponitur, ut (Verg. *Aen.* 7, 110)

"Sic Iupiter ille monebat".

(4) Et dic quod Priscianus dicit ipsum poni relatiue, quia sic positum exigit relationem huius nominis *qui*, ut (ps. Verg. *Prol. Aen.* 1, 1)

"Ille ego, qui quondam".

Vel dicamus quod ibi relatiuum est et refertur ad *ego*, et similiter posita primam et secundam. faciunt noticiam uel, quod melius est, non ad *ego* refertur, sed ad *qui*. (5) Nam cum dico *ille qui interfecit tyrannum praemium accipiet, ille et qui* ad se inuicem referuntur, sic cum dico *ego ille qui hoc fecit, faciam* et illud *ille et qui* mutuam habent relationem».

[4] Haec Petrus Heliae dicit, quae licet subtilia commodaque sint et notanda, non tamen omnino tenenda. Non enim in *ille* relatiue posito semper est necessarium ut sequatur *qui* relatiuum, ut *tu es ille qui curris*, quippe cum *tu ille curris* dici possit. (2) Illud tamen exemplum *tu es ille qui curris*, construe *tu ille es qui curris*, ut *tu* antecedens sit non modo respectu *qui* sed et ad *ille*, et ipsum *ille* uerbum non *qui* sed *tu* esse dicatur, ut in illo Virgiliano exemplo in VII (7, 110):

«Sic Iupiter ille monebat»,

hic enim *ille* ad *Iupiter* refertur, ut et ipse Priscianus in XII attestatur, et supra (3, 1, 4), sub uersiculo *Idem Priscianus in eodem XII*, inuenies.

[5] Deinde in eo quod Petrus Heliae subiicit (Reilly 973): «Sed quotienscunque demonstratiuum est, semper relatio erit ad ipsum in tertia persona», intellige ad ipsum, scilicet *ille*, et non ad *tu*, ut *tu es ille qui currit*, ita qui tunc *ille* non regatur a uerbo ea parte ante ex euocationem faciendo ex euocationis ui, sed potius a parte post ex ui naturae uerbi, quae idem quod uis copulatiua sit. (2) De quibus per eundem Petrum Heliae super primo minoris et per glosatores *Doctrinalis* in capitulo VIII, in uersu *Ex ui personae* (8, 1.081), et in lectione *Ternae personae* generaliter omnis habetur rectus, plenissime reperitur.

[6] Posthac in quaestione illa, quare *ille* cum prima et secunda persona positum magis relatiuum quam demonstratiuum sit, ubi *et* pro *uel* aut in sensu diuiso, sed non composito debet intellegi. De tribus solutionibus seu opinionibus secundas tene. Nec uerum putes quod in tertiae dicitur Prisciano nam *ille* potius ad *ego* quam ad *qui* referendum uenit, ut in VII *Aeneidos* (7, 110):

«Sic Iupiter ille monebat».

(2) Quod autem in exemplis dictum ut *ille et qui* mutuam relationem faciant et probandum ex quo potest inferri cur quotienscunque *ille, iste, ipse, hic* uel *is* cum *qui* in constructione coniungitur, mutua fiat relatio, seu redditua, ut *ille, iste* uel *ipse* uel *hic* uel *is, qui credit et recte uiuit, salus erit*. Quandoquidem ununquocque illorum quinque et *qui* ad se mutuo referuntur.

V. De ipse .

[1] Consequenter Petrus Heliae post *ille*, de *ipse* quaerit (reilly 1001); quare non similiter positum cum prima uel secunda persona, cum per se relatiuum sit, relatione accipiatur. Solutio est qui *ipse* est epithematicum in appositium quia maxime apponitur omnibus personis et ideo facile in naturam uniuscuiusque concedit, itaque uis primae personae facile id in suam attrahit proprietatem. (2) Nam cum dico *ego ipse faciam*, hic demonstratiuum est *ipse*, et generaliter cuiusque personae apponitur in eius proprietatem concedit, unde etiam sine prima uel secunda persona per subauditionem, tam cum uerbo primae, quam secundae personae constrahitur, ut *ipse facia, ipse facis*; (3) cum nomine autem coniunctum quia nulla est uis pronominis, ibi in discretione non mutat suam proprietatem. Cum enim dico *ipse Iupiter* relatiuum est *ipse* et eadem supra dicta remanet. Quo quia intransitiue intelliguntur et tamen alterum ad alterum refertur.

[2] Idem Petrus Heliae in eodem primo minoris, post medium (Reilly 964), de secunda pronominum proprietate quaerens quae in demonstratione relationeque consistit, cum prima secundum casus et personas declinari sit, scite describit et exponit quid demonstratio sit et relatio, de quibus in

huius libri dictum est principio. (2) Deinde quaerendo decidit *hic* pro *talis* seu huiusmodi sumi posse, nam et *is* pro *talis* saepe reperitur. De quibus et ante finem secundi libri sub uersiculo *De tamen et sed* et in uersiculo *Nec modo secundum antedicta* (*supra* 2, 47, 2), scripsimus absolute.

[3] Subinde Petrus Heliae (Reilly 940) quaerit utrum ad rem non existentem possit fieri demonstratio, ut *hoc falsum non est*, uel *hoc opinabile*, et similia. Debent quidam quia nunquam in talibus congrua est demonstratio. Aliquid enim infinitum cum quadam confusione uel quadam confusa attributione substantiae in non existentis designatione accipi potest, sed quia pronomen hoc magis certitudinem substantiae facit, quae in talibus esse non potest, non habet locum demonstratio. (2) Itaque *aliquod falsum est* bene dicitur, sed non *hoc falsum est*, sicut *aliquis homo est mortuus* uere dicitur, et *aliqui. futurum* non tamen *aliquid* demonstrationes dicimus *hoc est futurum* uel *hoc futurum erit*. Nec similiter *hic homo est mortuus* uere dicitur, quod probabiliter coniectant. Si quis dicat quod possumus dicere *iste homo est mortuus*, dico quod grammatica est locutio, falsum tamen est quod ea dicitur, nec ueritatis uel falsitatis iudicium grammatici est, sed solius congruitatis. (3) Vel dic quod cum dico *aliquis homo est mortuus* uel *aliquid est futurum*, non determino substantiam circa existere uel quia existens, sed circa rem uelut praeteritam, uelut futuram cuius non est, sed erit uel fuit substantia. Cum autem dico *aliquid est falsum*, quamuis non existentis tamen eius quia existentis substantiam propono.

VI. Exempla pro qualitatibus pronominum reserandis: Cicero Ad Herennium.

[1] Quod autem tertia pronominum persona modo praesens uel iuxta sit, ut *iste*, modo absens uel longa posita, ut *ille*, iuxta Prisciani sententiam multis in auctorum locis perfacile inueniri potest. Adeo ut praesentem, seu eum de quo principaliter sermo fit, per *iste*, absentem uero seu tertium in quem uel de quo potissimum non agitur, per *ille* demonstrant. (2) Cicero nanque *Ad Herennium* libro II^o, in perfectissimae argumentationis exemplo (2, 19-ss.), Vlixem accusatum tanquam praesentem, seu eum in quem tota uersatur oratio, et Aiacem occisum uereque absentem longeque positum, seu eum qui non accusaretur uel defenderetur, et de quo principalis sermo non esset, per *ille* saepe demonstrat: «Causam -inquit- ostendemus Vlixi fuisse, quare interfecit Aiacem». (3) Et infra: «Videbat illo incolumi se incolumem non futurum; sperabat illius morte se salutem sibi comperare». Et infra: «Cui mirum uidebitur, istum a maleficio propter acerrimam formidinem se non temperasse?». Et infra: «Istius quoque animum ferum, crudelem atque inhumanum cupide ad inimici perniciem profectum; praesertim cum in bestiis nullam bonam neque malam rationem uideamus, in isto plurimas rationes et pessimas semper fuisse intelligamus». (4) Hic autem notandum suadeo *ille* semel, *iste* uero bis fuisse repetitum. Nec dubium ubi *ille* uel *iste* cum resumptione fuit appositum, *is* uel *ipse* tanquam relatiuum secundamque cognitionem faciens, subiunctiuumque in memoriamque reducens, demonstrationem per *ille* uel *iste* designatam in XII^o, secundum antedictam, Prisciano teste, subiici potuisse. (5) Nam et hic Cicero post *ille* repetitum de illo, puta Aiace, mutuum relationem fecit, ibi nanque subiunxit: «Ergo et metus periculi hortabatur eum interimere, a quo supplicium uerebatur».

[2] Deinde idem Cicero in V^o *Ad Herennium* (6, 35) in prima sententiarum exornatione, quae distributio nominatur, quod de *iste* dixi, confirmat, edocens id et per *hic* pronomen demonstratiuum, uel ad oculum, Latine fieri posse, siquidem sic ait in exemplo: «Qui uestrum, iudices, nomen Senatus diligit, hunc oderit necesse est; petulantissime enim iste semper oppugnavit Senatum. (2) Qui equestrem locum splendidissimum cupit esse in ciuitate, ut is uelit, oportet istum maximas poenas dedisse, ne iste sua turpitudine ordini honestissimo maculae atque dedecori sit. Qui parentes habetis, ostendite istius supplicio homines impios uobis non placere. Quibus liberi sunt, statuete exemplum, quantae poenae sint in Ciuitate hominibus istiusmodi comparatae».

[3] Paulo post, in *Descriptio* (Cic. *Her.* 6, 39), probatur aperte quod ante dixi, post *iste* demonstratiuum, *is* relatiuum posse subiungi, sed et id noui palam fit, post *is* relatiuum, *iste* resumi, quod contra Prisciani praecepta praelibata esse uideatur, qui dicit demonstrationem interrogationi reddita primam cognitionem ostendere et consequenter *hic* et *iste* demonstratiua primam cognitionem facere, et ideo *hic* praepositum dici, relatiua uero cognitionem secundam, et *is* subiunctiuum nominari, et recte per *ipse* memoriam reparari eius. (2) Quod per *ille* et *iste* significatum esset, non tamen *ille* et *ipse*, *iste* ad pronomen *ipse* referri, cum prima cognitio per demonstratiua pronomina, secunda per relatiua sit, nisi diceres in eo exemplo *iste* non relatiuum sed demonstratiuum esse. (3) Tullius autem in descriptionis exemplo sic ait notabiliter: «Quod si istum, iudices, uestris sententiis liberaueritis, statim, sicut ex cauea

leo missus aut aliqua taeterrima belua soluta cathenis, uoluitabit et uagabitur in foro». (4) Et infra: «Quare, iudices, eicite eum de ciuitate, liberate omnes formidini; uobis denique ipsis consulite. Nam si istum impunitum dimiseritis, in uos ipsos, consequens credite feram et truculentam bestiam, iudices, immiseritis». Et ita Cicero *istum* demonstratiuum ponit in principio, deinde *eum* relatiuum, consequenter *istum* demonstrans eandem repetit, nec ad *eum* dicendum est referri.

[4] Subinde Tullius (*Her.* 6, 39) per *hic* facit quod per *iste* fecisse uisum est, quippe cum eum de quo agitur per *hic* saepe demonstrat et id quidem hoc modo: «Item: "Nam si de hoc grauem sententiam tuleritis, uno iudicio simul multos iugulaueritis: grandis natu parens, cuius spes senectutis omnis in huius adolescentia posita est, quare uelit in uita manere, non habebit; filii parui, priuati patris auxilio, ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi; tota domus huius indigna concidet calamitate".»

[5] Posthac Cicero in exornatione (*Her.* 6, 40-41) *Frequentatio* post *iste* demonstratiuum, *is* relatiuum subiicit, et *iste illeque* repetit, ut in exemplo descriptionis argumentationisque fecit perfectissime: «A quo tandem iste abest uicio? Quid est, cur, iudices, uelit eum liberare? Suae pudiciae proditor est, insidiator alienae». (2) Et infra: «Nolite igitur, nolite, o iudices, ea, quae dixi, separatim spectare; sed omnia colligite et conferte in unum. Si et commodum ad istum ex illius morte ueniebat, et uita hominis est turpissima, animus auarissimus, fortunae familiares attenuatissimae, et res ista bono nemini praeter istum fuit. (3) Nec alius quisquam aequae commode, nec iste aliis commodioribus rationibus facere potuit, nec praeteritum est ab isto quicquam, quod opus fuit ad maleficium neque factum, quod opus non fuit, et cum locus idoneus maxime quaesitus; tum occasio aggrediendi commoda, tempus adeundi opportunissimum, spacium conficiendi longissimum sumptum est. Et non sine maxima occultandi et perficiendi maleficii spetrus (4) Et praeterea antequam is occisus esset, homo iste uisus est in eo loco, in quo occisio facta est, solus; paulo post loco in ipso maleficii uox illius audita est, qui occidebatur; deinde post occisionem istum multa nocte domum redisse constat, postero die titubanter et inconstanter de occisione locutum. (5) Haec partim testimoniis, partim quaestionibus et argumentis omnia comprobatur, et rumore populi, quem ex argumentis natum necesse est esse uerum: uestrum, iudices, est, his in unum collocatis, certam sumere scientiam, non suspicionem maleficii. Nam unum aliquid aut alterum in istum potest casu cecidisse suspiciose, ubi omnia inter se a primo ad postremum conueniant, maleficia necesse est; casu non posse fieri». (6) In hoc exemplo non modo notandum est quod dixi, sed etiam quod per illa uerba *res ista* perspicitur, quod et hoc pronomen *iste* ad intellectum quoque demonstratiuum sit, et quod *is homo* de illo tertio dicatur et de ipso referatur, et *homo iste* principalem eumque de quo potissimum ageretur demonstrat. Insuper de illo tertio per *illius qui* mutua fiat relatio.

[6] Idem Cicero in *Contentio*² (6, 45), post et super *iste* corroborat et confirmat: «Vos huius incommodis lugetis, iste rei publicae calamitate laetatur. Vos uestris fortunis diffiditis, iste solus suis eo magis confidit.» Sciendum autem *hic* et *iste* in hoc exemplo de eodem dici, de quo principaliter ageretur, et *iste* de eodem quoque fuisse repetitum.

[7] Cicero praeterea in *Imago*³ (6, 49) et super *iste* et *iste qui* et *iste eundem*, de quo principaliter ageretur, demonstrantibus subiicit: «Iste Catilina quotidie per forum medium tanquam iubatus draco serpit, dentibus aduncis». Et infra: «Iste qui diuicias suas iactat et clamat et deierat». Et infra: «Iste tanquam coelea abscondens et retentat sese tacitus, quo domo totus condatur et auferatur».

[8] Consequenter Cicero (6, 49) in *Effictio*⁴, per *hunc* et *cui* ad oculum demonstrationem facit: «"Hunc, iudices, dico rubrum, breuem, incuruum, canum, suscipsum, caesium, cui sane magna est in mento cicatrix, siquo modo potest uerbis in memoriam redire". Habet haec exornatio tum utilitatem, si quem uelis demonstrare, tum uenustatem, si breuiter et dilucide facta est». (2) Itaque hic non modo per

¹ *Glossa*: *Frequentatio* secundum Tullium in *V^o Ad Herennium* (4, 52) est cum res in tota causa dispersae coguntur in unum locum, quo grauior aut crinosior fit oratio.

² *Glossa*: *Contentio* est secundum Tullium in *V^o (Her.* 4, 58): «Per quam contraria referuntur. Ea est in uerborum exornationibus, ut ante docuimus, huiusmodi: "Inimicis te placabilem, amicis te inexorabilem praebes". In sententiarum, huiusmodi: "Vos huius incommodis", et cetera.

³ *Glossa*: *Imago* secundum Tullium in *V^o (Her.* 4, 62) est «Formae cum forma cum quadam similitudine colatio».

⁴ *Glossa*: *Effictio* est secundum Tullium in *V^o (Her.* 4, 63): «Cum exprimitur atque effingitur uerbis corporis cuiuspiam forma, quoad satis sit ad intelligendum».

hic fit ad oculum demonstratio, adeo ut secundum antedicta dici possit *hunc* loco *istum* fuisse positum, sed et per *hunc* et *cui* mutua facta sit relatio.

[9] Item in *Notatio*⁵ Tullius (6, 50-51) apertius explicat quod de *iste*, *hic* et *ille* dictum est, et per *iste qui* et *hunc qui* mutua relationem fieri. Et per *ille* demonstrationem de principali simul et diuerso, et per *is* relationem de tertio, et per *hic* demonstrari iam per *iste* et *ille* demonstratum. «Istum inquietis, iudices, qui sese diuitem esse putat, dici praeclarum.» (2) Et infra: «Cum puerum respicit hunc unum quem nunc noui, uos non arbitror nouisse, alio nomine appellat, deinde alio atque alio. Tu, inquit, ueni, Samio, nequid isti barbari perturbentur, ut ignoti qui audiunt putent se eligi de multis, ei dicit in aurem, ut aut domi lectuli sternantur aut ab auunculo rogetur Aethiops»; (3) Et infra: «Sane deinde casu ueniunt homini hostes, qui istum splendide, dum peregrinaretur receperunt»; (4) Et infra: «Id fecissemus, inquit isti, si domum nouissemus. At istud quidem facile fuit unde libet inuenire. Illum sequuntur illi. Sermo interea huius consumitur omnis in ostentatione». (5) Et infra: «Venit in aedes quasdam, in quibus sodalicium errat illo die futurum, quo iste pro noticiam domum ingreditur cum hospitibus». (6) Et infra: «Eamus hospites, frater meus uenit ex Salerno, ergo illi obuiam. Pergam uos huc ad decumam⁶ ad me uenitote, hospites discedunt, iste se raptim domum suam coniecit; illi decuma, qua iusserat, ueniunt, quaerunt hunc, reperiunt, domus cuius sit, in diuersorum derisis conferunt sese. Vident hominem postera die, narrant. Expostulant, accusant; ait iste eos similitudine loci deceptos». (7) Et infra: «Iste hospites domum deducit». Et infra: «Eiusmodi est hominis natura, ut quae singulis diebus efficiato gloria et ostentatione, ea uix annuo sermone enarrare possim».

[10] Ad haec Tullius (6, 51) in *Sermocinatio*⁷ perapertius, quae de *hic*, *ille*, *iste* dixi et monstraui, docet, et quod licet *hic* et *iste* persaepe praesentem uel quasi praesentem seu principalem, super quo potissimum tota uersatur ratio, demonstrare sit conpertum, tamen *hoc* quandoque, sed improprie, huic pronomini *ille* natura sui absentem uel longe positum demonstranti, uel relationem, ut ipse excenteri, datum sit. Naturam uero horum pronominum *ille* et *ipse* raro uel nunquam datam esse his pronomnibus *hic* et *iste* reperimus. (2) Tullius sane in *Sermocinatio* dicit hoc modo: «Venit iste cum sagō, gladio succintus tenens iaculum». Et infra: «Vbi est iste beatus -inquit- aedium dominus, qui mihi nunc praesto fuit?» Et infra: «Vxor illius infelicissimi cum maximo fletu ad istius pedes adiecit sese». Et infra: «At ille quin illum mihi datis?» Et infra: «Illi nunciatur interea istum hominem uenisse cum clamore maximo mortem minari». (3) Et infra: «Ecce iste praesto "Sedes -inquit- audax?"» Et infra: «Ille cum magno spiritu metuebam -inquit- ne plane uictus essem». Et infra: «Tum mulier inquit: "Immo iste quidem rogat et supplicat, sed tu, quaeso, commouere. Et tu per deos -inquit- hunc amplexare. Dominus est, uicit hic te, uince tu nunc animum"». Et infra: «Iste mulierem reppulit a se lamentantem. Illi nescio quid incipienti dicere, quod dignum uidelicet illius uirtute esset, gladium in latere defixit».

[11] Consequenter Cicero (6, 52) in *Conformatio*⁸ per *ille* absentem et longe positam demonstrat, cui *hic* subiungit, quod pronomen ad oculum demonstratiuum esse potest, licet magis proprie aduerbialiter poneretur, et per hac rem ad intellectum demonstrat quoque: «Si nunc Brutus Lucius ille reuiuiscat et hic ante pedes uestros assit, non hac utatur oratione? (2) "Ego reges eieci, uos tyrannos introducitis. Ego libertatem peperit, quae non erat, uos partam seruare non uultis. Ego capitis mei periculo patriam liberaui, uos liberi sine periculo esse non curatis"».

⁵ *Glossa*: Notatio secundum Tullium in V^o (*Her.* 6, 50) est «Cum alicuius natura certis describitur signis, quae sicuti notae quaedam naturae attributa sunt», ut si uelis non diuitem sed ostentantorem pecuniosum describere».

⁶ *Glossa*: Id est decumam, nam antiqui *decumus* pro *decimus* et *decuma* pro *decima* et *decumare* pro *decimare* dicebant. *Decimus*, -a, -um a *decem* dicitur et inde *decimare*, id est decimam dare uel auferre secundum *Catholicon*. Ioannes Raimundus Ferrarii.

⁷ *Glossa*: Sermocinatio est cum alicui personae sermo attribuitur et is exponitur cum ratione dignitatis», Tullius (*Her.* 6, 52).

⁸ *Glossa*: Sagum est uestis militaris expedita, quae uulgo *iorneya* dicitur.

⁹ *Glossa*: Conformatio secundum Tullium in V^o (*Her.* 4, 66) est «Cum aliqua, quae non adest, persona confingitur aut cum res muta aut informis sit eloquens et formata, et ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata, aut actio quaedam hoc pacto».

[12] Insuper Cicero (6, 53) in *Significatio*¹⁰ per *hic* et *ista* rem ad oculum praesentemque demonstrat: «Hic de tanto patrimonio tam cito testam, qua sibi petat ignem, non reliquit». Et infra: «Qui ista forma et aetate nuper alienae domi nolo plura dicere».

¹⁰ *Glossa*: Significatio est res quae plus in suspitione relinquit quam positum est in oratione.

[13] Tandem Cicero (6, 53) in *Demonstratio*¹¹ per *iste, ille hique* eundem praesentem principalemque demonstrat, deinde per *iste* eundem principalem, per *ille* uero alium tertium et occisum, et per *hoc idem* rem praesentem ad intellectum: «Iste interea scelere et malis cogitationibus redundans euolat et templo Iouis». (2) Et infra: «Illi praeco faciebat audientiam, hic subsellium quoddam calce premens, dextera pedem defringit, et hoc idem alios iubet facere. Cum Gracchus deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt». (3) Et infra: «At iste spumam ex ore reiiciens, anhelans ex infimo pectore crudelitatem contorquet brachium. Et dubitanti Graccho quod esset, nec tamen locum in quo consisteret relinquenti percutit tempus. Ille nullam uocem edens insita uirtute concidit tacitus. Iste uiri fortissimi miserando sanguine aspersus». Et infra: «In templum Iouis contulit sese».

VII. *Natura ille, iste, hic, is et ipse per alios Ciceronis textus.*

[1] Nec modo per haec Ciceronis exempla praedicta horum pronominum *ille, iste hic isque* natura manifesta est, sed et per alios eiusdem Ciceronis textus *ipse* addito ante oculos poni potest. Nam et in quarti libri *Ad Herennium* prohemio, sub § *Primum ergo* (4, 3), sic habetur: «Primum ergo quod ab eis de modestia dicitur uideamus». (2) Et infra: «Quasi si quis ad Olympiacum¹² uenerit cursum et steterit, ut obmittatur, et imprudentes dicat illos esse qui currere coeperint, ipse inter carcerem¹³ stet et narret aliis, quomodo Ladas ait boys cum Sisoniis cursitarint. (3) Sic isti, cum in artis curriculum descenderunt, eos qui in eo quod est artificii elaborant, dicunt facere immodeste, ipsi aliquem antiquum oratorem aut poetam laudant aut scripturam sic ut in studium artis rhetoricae prodire non audeant».

[2] Quod autem *hoc* rem praesentem ad intellectum et *ipsum* ei additum excellentiam quandam dicat, et *istud* rem quoque praesentem principalemque ut et *iste* eum, de quo principaliter tractatur, significet, et *ipse*, sed *is* saepius relationem et communem et mutuam faciat, et post redditur ad *iste* in eodem quarti libri prohemio reperitur. Nam in § *At hoc ipsum* dicitur (Cic. *Her.* 4, 4-6): «At hoc ipsum difficile est -inquit- eligere de multis». (2) Et infra: «Sin autem istud artificiosum egregium dicitis, uidete ne insueti rerum maiorum uideamini si uos parua res, sicut parua delectat. Nam isto modo eligere rudis quidem nemo potest, sed sine summo artificio multi.» (3) Paulo post, in § *Nunc hoc signum*, scribitur: «Nunc hoc signum est ipsos artis scriptores non putasse unum potuisse in omnibus elocutionis partibus enitere». (4) Et infra, sub § *Nunc aliunde*: «Si mercem ipsi qui uenditant, aliunde exemplum quaerant mercis. Si aceruos se dicunt tritici habere et eorum exemplum pugno non habent quod ostendant. Si Triptolomus cum hominibus semen largiretur, ipse ab aliis id hominibus mutaretur. Aut si Prometheus cum mortalibus ignem diuidere uellet, ipse a uicinis cum testa ambulans carbunculos corrogaret, non ridiculum uideretur? Isti magni omnium dicendi preceptores non sibi uidentur ridicule facere, cum id quod aliis pollicetur ab aliis quaerunt. (5) Si quis se fontes maximos penitus absconditos aperuisse dicat, et hic sitiens sedat, nonne ridiculum uideatur? Isti cum non modo dominos se fontium sed se ipsos esse fontes dicant, et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum si cum id polliceantur, arescant ipsi siccitate. Chares a Lisippo statuas facere non isto modo didicit». (6) Et infra: «Isti credunt eos qui hoc uelint discere, alia ratione doceri posse commodius. Praeterea nec possunt quidem ea, quae sumuntur ab aliis exempla tam esse accomodata ad artem quam propria.»

[3] Pleraque ex his et mutuam per *hic qui* relationem in eodem 4^o (Cic. *Her.* 4, 8), in capitulo ubi de graui figura scribitur, inuenies: «In graui consumetur oratio figura, si quae cuiusque rei poterunt

¹¹ *Glossa*: Demonstratio est cum ita uerbis res exprimitur, ut geri negotium, et res ante oculos esse uideatur.

¹² *Glossa*: *Olympias, -adis*, feminino genere et *Olympica, -cae* ab *Olympus* in eodem sensu festum uel solennis ludus est, quod uel qui ad Iouis honorem semel per quinquennium fieret ne, si pretenderetur ulterius, in negligentiam obliuionemque ueniret, uel si citra quinquennium celebraretur, ne expensarum pondere homines grauarentur. In huius celebratione lex talis erat, ut uictor quocumque munus exposceret obtinenti unde dicitur in *Rhetorica*: «Quicumque tyrannum occiderit Olympiarum praemium accipito». Et hinc *Olympiacus, -ca, -cum* secundum *Catholicon* et *Compraensorium* iuncto Tortello. Ioannes Raimundus Ferrarii.

¹³ *Glossa*: Forte carcere esse debet, nam secundum Varronem (*Ling. Lat.* 5, 151) et Seruium (*Aen.* 1, 54) carcer est reorum custodia, carceres uero equorum terminus, unde currere incipiunt ab arcendo dicti. Et de hoc in *Alfonsina* plenius.

ornatissima uerba reperiri, siue propria siue translata, ea unanquamque in rem accomodabuntur». (2) Et infra: «In hoc genere figurae erit hoc exemplum. "Nam quis est uestrum, o iudices, qui satis idoneam possit in eum poenam excogitare, qui prodere hostibus patriam cogitauit? Quod maleficium cum hoc scelere comparari? Quod huic maleficio dignum supplicium potest inueniri? (3) In his qui uiolassent ingenuam, matremfamilias constuprassent, pulsassent aliquem aut postremo necassent, maxima supplicia maiores nostri consumpserunt, huic truculentissimo ac nefario facinori singularem poenam non reliquerunt?"». (4) Et infra: «Huius sceleris qui sunt affines, uno consilio uniuersis ciuibus atrocissimas calamitates machinantur». Et infra: «Quod se non putant id, quod uoluerint ad exitum perduxisse, nisi sanctissimae patriae miserandum scelerati uiderint cinerem». (5) Et infra: «Vester uos enim animus amantissimus rei publicae facile edocebit, ut eum qui fortunas omnium uoluerit prodere praecipitem perturbetis, ex ea ciuitate quam iste ex hostium spurcissimus dominatum nefario uoluerit obruere».

[4] Subinde Cicero (*Her.* 4, 9) in mediocris figurae exemplo per *hic* bis eos, de quibus principaliter loquitur, demonstrat, demonstrare quidem uolens socios, in quibus tota uersatur oratio, subiicit: «Hi cum se et opes suas et copiam necessario norint». (2) Et infra: «Hi cum deliberassent», et cetera. Paulo post eosdem socios per *isti* et alios diuersos per *illi*: «Quaeret aliquis quid flagelliam? Num sua sponte conati sunt? Eo quidem isti minus facile conaretur, quod illi quemadmodum decessissent uidebant. (3) Nam rerum imperiti qui uniuscuiusque rei de rebus ante gestis exempla petere non possunt, hi per imprudentiam facillime deducuntur in fraudem. At hi qui sciunt quid aliis acciderit facillime ex eorum euentu suis rationibus possunt prouidere». Et infra: «Et quid aliud, nisi id quod dico, potest esse».

[5] Denique Cicero (*Her.* 4, 10) in attenuato figurae genere per *hic* rem demonstrat ad intellectionem praesentem. Et in exemplo per *hic* et *iste* duos praesentes ad oculum, de quibus una principaliter agitur, et post crebram horum pronominum eosdem significantium repetitionem, tandem uel eum, puta senem, quem per *hic* demonstrauerat, per *iste* demonstrat: (2) «In attenuato figurae genere et quod ad infimum et quottidianum sermonem dimissum est, hoc erit exemplum: Nam ut forte hic in balneas uenit, coepit, postquam perfusus est, defruari, deinde ubi uisum est ire, ut in alueum descenderet, ecce ibi iste de transuerso: (3) 'Heus -inquit- adolescens, pueri tui modo me pulsarunt, satisfacias oportet'. Hic, qui id aetatis ab ignoto praeter consuetudinem appellatus esset, erubuit. Iste clarius eadem et alia dicere coepit. Hic uix tandem inquit: 'Sine me considerare'. Tum uero iste clamare uoce ista, quo uel facile cuiuis rubores eiicere posset: 'Ita petulans es atque acer, ut ne ad solarium quidem, ut mihi uidetur, sed penes scaenam et in huius locis excitatus sis'. (4) Conturbatus est adolescens. Nec mirum, cui etiam nunc pedagogi lites ad auriculas usarentur, imperito huius conuiciorum. Vbi enim iste uidisset scurram, exhausto rubore, qui $\text{\textcircled{X}}$ putaret nihil habere, quod de existimatione perderet, ut omnia sine fame detrimento facere posset?».

VIII. Cicero De officiis.

[1] Ceterum quamuis antedicta per multos alios Ciceronis textus aliorumque librorum confirmare possem, tamen non nullis ex *Officiorum* libris in praesentia uolo esse contentus. Ibi nanque dicitur in prohemio (Cic. *Off.* 1, 1, 2-4): «Quam ob rem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum». (2) Et infra: «De rebus ipsis utere iudicio tuo». Et infra: «Nec arroganter uero hoc dictum existimari uelim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quid est oratoris proprium aperte, distincte et ornate dicere (quoniam in eo studio aetatem consumpsi) si id mihi assumo, uideor id meo iure quodammodo uendicare». (3) Et infra (*Off.* 1, 2-ss.): «Hos etiam de philosophia libros, qui iam illis fere se aequarunt, studiose legas. Vis enim maior est in illis dicendi, sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus. Et id quidem nemini uideo Graecorum adhuc contingisse, ut idem in utroque genere laboraret. Sequaereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus». (4) Et infra: Equidem et Platonem existimo, si id genus forense dicendi tractare uoluisset, grauisime et copiosissimi potuisse dicere. Et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronuntiare uoluisset, ornate splendideque facere potuisse». (5) Et infra: «Sed cum statuissem ad te scribere aliquid in hoc tempore, multa posthac ab eo exordiri maxime uolui, quod et aetati tuae esset apertissimum et auctoritati meae». Et infra: «Latissime uidentur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt». Et infra: «Atque haec quidem quae communis est omnium philosophorum». (6) Et

infra (*Off.* 1, 6): «Nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum uirtute coniunctum, idque suis commodis non honestate metitur. Hic sibi si ipse consentiat et non interdum naturae bonitate uincatur, neque amicitiam colere possit, nec iusticiam nec liberalitatem». (7) Et infra, demonstrans disciplinas malas, de quibus proxime locutus erat, tanquam de iuxtapositis subiicit: «Hae disciplinae igitur si sibi consentaneae uelint esse, de officio nihil quaeant dicere». Et de mutua per *hic qui* relatione subiungit: «Neque ulla officii praecepta firma stabilia, coniuncta naturae tradi possunt, nisi aut ab his, qui solam aut ab his, qui maxime honestatem propter se dicunt expetendam». (8) Subinde ponens *is pro talis* adiicit: «Itaque propria est ea praeceptio stoicorum et Achademicorum Peripatheticorum». Et infra de *hic* et huiusmodi pro re praesenti, tum ad intellectum, tum ad oculum demonstrationem facienti, supponit: «Sequitur igitur hoc quidem tempore et in hac quaestione potissimum stoicos». (9) Et infra: «Superioris generis huiusmodi sunt exempla omnia, ne officia perfecta sint, nunquid officium aliud alio maius sit et quae sunt generis eiusdem». Et infra: «De quibus est nobis his libris explicandum». (10) Et de mutua relatione per *id* quod subiicit: «Rectum quod sit, id officium perfectum esse diffiniant. Medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit». Et infra: «Declinetque ea, quae nocitura uideantur». (11) Et nota infra *hic* et *ipse* coniuncta: «Tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat ordo autem et constantia et ea quae sunt his similia uersantur in eo genere, ad quod est adhibendam actio quaedam». Et infra: «His enim rebus quae uersantur in uita», et cetera.

[2] Idem Cicero in 2^o (*Off.* 2, 7, 24-25), sub § *Atque etiam subiiciunt se homines*, inter *ipse* et *qui* ex una parte, et ex altera inter *idem* et *qui*, mutuam relationem ponit. Et post *is* relatiuum, de eodem *ipse* relatiuum subiungit: «Etenim qui se metui uolent, a quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est». (2) Et infra: «O miserum, qui fideliosem et barbarum et stigmaticum putaret, quam coniugem. Nec eum fefellit opinio, ab ea est enim ipse propter pellicatus suspicionem interfectus».

[3] Idem in eodem (*Off.* 2, 10, 37; 2, 11, 38-40) sub § *Admiratione autem afficiunt hi*, de *hic* et *qui ille* et *qui is* et *qui* mutuas relationes frequentat: «Admiratione autem afficiunt hi qui anteire ceteros uirtute putantur, et tum carere omni dedecore, tum uero his carere uiciis quibus alii non facile possunt obsistere». (2) Et infra: «Maximeque admirantur eum, qui pecunia non mouetur. Quod in quo uiro perspectum sit, hunc dignum spectatu arbitrantur. Itaque illa tria quae proposita sunt ad gloriam, omnia iusticia conficit et beniuolentia». Et infra: «Quod eas res spernit et negligit, ad quas plerique inflamati auuiditate rapiuntur». (3) Et infra: «Atque his etiam qui uendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negociis implicantur, iusticia ad rem gerendam necessaria est, cuius tanta uis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula iusticiae uiuere. (4) Nam qui eorum cuiquam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum, ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquitur».

[4] Et infra (*Off.* 2, 13, 44-46; 2, 14, 48-50), sub § *Sed ut facillime, hi qui pro tales quales* subtingit, et post *hunc* demonstratiuum, de eodem per *is* bis relationem facit mutuam quoque, et per *hic qui* et *ille qui*, ut de rebus propinquis et remotis, et *ipse, is* sive coniungit: «Sed ut facillime, quales simus, tales esse uideamur, etsi in eo ipso uis maxima est, ut simus hi qui haberi uelimus, tamen quaedam praecepta danda sunt. (2) Nam si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis aut a patre acceptam, quod tibi, mi Cicero, arbitrator contigisse, aut aliquo casu atque fortuna, in hunc oculi hominum coniciuntur atque in eum, quid agat, quemadmodum uiuat, inquiritur, et tanquam in clarissima luce uersetur, ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse nec factum». (3) Et infra: «Hae res quas ingenio ac ratione persequimur, gratiores sunt, quam illae quamuis uiribus». Et infra: «Eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum». (4) Et infra: «Nam L. Crassus, cum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipsi peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa, ex qua aetate qui exercentur, laude affici solent, ut de Demosthene accepimus, ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime iam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari». (5) Et infra: «Eadem enim est, quam eloquentiam dicimus». Et infra: «Quod contigit M. Bruto summo genere nato, illius filio, qui iuris ciuilibus in primis peritus fuit.»

[5] Idem Cicero in principio tertii libri *De officiis* (3, 1, 1-6) multa ex praedictis confirmat: «Publius Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, nunquam se minus ociosum esse, quam cum ociosus, nec minus solum, quam cum solus esset. (2) Magnifica uero uox et magno uiro ac sapiente digna; quae declarat illum et in ocio

de negociis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret unquam et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duae res quae langorem afferunt ceteris, illum acuebant, ocium et solitudo. Vellem nobis hoc idem uere dicere liceret». (3) Et infra: «Sed nec hoc ocium cum Africani ocio nec haec solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus ocium sibi sumebat». Et infra: «Ocio fruor non illo quidem, quo debeat is qui quondam peperisset pacem». (4) Et infra: «Quare quanquam a Cratippo nostro principe huius memoriae philosophorum, haec te assidue audire atque accipere confido, tamen conducere arbitror talibus aures tuas uocibus undique circumsonare, nec eas si fieri possit quicquam aliud audire». (5) Et infra (*Off.* 3, 3, 13), sub § *Atque illud quidem*, sic habetur: «Atque illud quidem honestum, quod proprie uereque dicitur id in sapientibus est solum, neque a uirtute diuelli unquam potest. In his autem, in quibus perfecta sapientia non est, illud quidem perfectum honestum nullo modo, similitudines uero honesti esse possunt. Haec enim officia, de quibus his libris disputamus, media Stoici appellant, ea communia sunt, et late patent».

[6] Posthac (*Cic. Off.* 3, 7, 33) sub § *Sed quoniam operi inchoato*, edocet manifeste *hoc* propinquiora, *illud* longiora demonstrare et mutuam inter *id quod et illud quod* relationem, et ad *illud id* adiungi: «Mihi concedas, si potes, nihil praeter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum. Sin hoc non licet propter Cratippum, at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum. Mihi utrumuis, satis est, et cum hoc tum illud probabilius uidetur».

[7] Idem (*Off.* 3, 9, 38) in § *Hinc ille Giges*, naturam *ille* significantis excellentiam bis exponit, relationemque *ipse* repetiti, cum subiunctione huius compositi idem secundam, uel potius tertiam relationem facientis, et *is* loco *dictus* uulgo positi substituit, et *hunc ipsumque* coniungit ad praestantiam denotandam, auctores nanque ornati pro *dictus*, *-a*, *-um* his pronominebus *ille*, *ipse* isque uti solent, et per *ille ipse* excellentiam demonstrare: (2) «Hinc *ille* Giges inducitur a Platone, qui cum terra discessisset magnis quibusdam ymbribus, descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animaduertit cuius in lateribus fores essent, quibus apertis, hominis mortui uidit corpus magnitudine inusitata anulumque aureum in digito, quem, ut detraxit, ipse induit, erat autem regius pastor, tum in concilium pastorum se recepit. (3) Ibi cum palam eius anuli ad palmam conuerterat, a nullo uidebatur. Ipse autem omnia uidebat. Idem rursus uidebatur, cum in locum anulum inuerterat. Itaque hac opportunitate anuli usus reginae stuprum intulit, eaque adiutrice, regem dominum interemit, sustulitque quos obstare arbitratur. Nec in his eum facinoribus quisquam potuit uidere. Sic repente anuli beneficio rex ortus est Lidiae. (4) Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet; honesta enim bonis uiris, non occulta quaeruntur. Atque hoc loco philosophi quidam minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam et commenticiam fabulam prolatam dicunt. Quasi non ille aut factum id esse aut fieri potuisse defendat. Haec est uis huius anuli et huius exempli».

[8] Idem in eodem (*Off.* 1, 16, 51) praeter antedicta multifariam confirmata, in § *Damonem et Pithiam*, primo per *is*, deinde per *ille*, de eodem relationem facit, quem in hoc Hieronymus in *Biblia* saepenumero imitatur. Saepissime nanque eundem, primo per *hic*, praesertim per *is*, deinde per *ille* et econtra, ut per *ille*, postea per *is* refert, ut in ea perfacile uideri potest. (2) Cicero uero et in hoc § *Damonem, ipsi* pro *sibi* substituit, id quod et in primo fecit, in liberalitatis materia, § *Eius autem uinculum*, ibi: «Vt homo, qui erranti comiti uiam monstrat, quasi lumen de suo lumine accendat, facit ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit». In dicto § *Damonem* ait (*Off.* 3, 9, 45; 3, 11, 49): (3) «Damonem et Pithiam Pithagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinauisset, et *is*, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa, postulauisset: uas factus est alter eius sistendi, ut si *ille* non reuertisset, moriendum sibi esset ipsi. (4) Qui cum se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petiuit, ut se ad amiciciam tertium ascriberent. Cum igitur id, quod utile uidetur in amicicia, cum eo, quod honestum est, comparatur, iaceat utilitatis species, ualeat honestas». (5) Et infra: «Themistocles post uictoriam eius belli quod cum Persis fuit». Et infra: ««Datus est Aristides. Huic *ille*».

[9] Idem (*Cic. Off.* 3, 14, 58-59; 3, 15, 61) sub § *C. Canius eques*, de *ipse, is et ille* pro eodem relatione facit, et idem de *hic et is*, et per *iste* praesentem propinquioram demonstrat, sic inquit: «C. Canius, eques Romanus, nec infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas, ut *ipse* dicere solebat, non negociandi causas contulisset, dictitabat se ortulos aliquos emere uelle». (2) Et infra: «Cum *ille* promississet tum Pithius, qui esset ut argentarius apud omnes ordines gratus, piscatores ad se conuocauit et ab his petiuit ut ante suos ortulos postera die piscarentur, dixitque quid eos facere uellet».

(3) Et infra: «Tum Canius: "Quaeso -inquit- quid est hoc Pithi? Tantumne piscium? Tantumne cimbarum?" Et ille: "Quid mirum? -inquit- Hoc loco est et Syracusis quidquid est piscium. Hic aquatio. Hac uilla isti carere non possunt". Incessus Canius cupiditate contendit a Pithio, ut uenderet. Grauate ille primo, quid multa? impetrat. (4) Emit homo cupidus et locuples tanti quanti Pithius uoluit. Et emit instructos, nomina facit, negocium conficit. Inuitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature. Scalmum¹⁴ nullum uidet. Quaerit ex proximo uicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos uideret. "Nullae, quod sciam -ille inquit-, sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quod accidisset." Stomachari Canius. (5) Sed quid faceret? Nondum enim eas Aquilius, collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas. In quibus ipsis, cum ex eo quaereretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud simulatum et aliud actum. Hoc quidem luculente, ut ab homine perito diffinendi». Et infra: «Non licitorem uenditor neque qui contra se liceat emptor apponet, uterque si ad loquendum uenerit, non plusquam semel eloquatur».

[10] Et infra (*Off.* 3, 15, 62), sub § *Quintus quidem Scaeuola*: «Ennius ait: "Necquicquam sapere sapientem? qui ipse sibi prodesse nequiret". Vere id quidem siquid esset prodesse mihi cum Ennio conueniret». Et infra: «In his libris quos de philosophia scripsit». Et infra: «Huic Scaeuolae factum, de quo paulo ante dixi, placere nullo modo potest». (2) Et infra: «Huic nec laus magna tribuenda nec gratia est. Sed siue et simulatio et dissimulatio dolus malus est, perpaucae res sunt, in quibus non dolus malus iste uersetur, siue uir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini, recte istum uirum bonum non facile reperimus».

[11] Et infra (3, 16, 65), sub § *Ac de iure quidem praediorum*: «Quicquid enim est in praedio uicii, id statuerunt, si uenditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere».

[12] Et infra (3, 17, 72), sub § *Q. quidem Scaeuola*, ait: «Nec ulla pernicietas uitae maior inueniri potest, quam in malicia simulatio intelligentiae, ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare uideantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria?». Hoc enim interrogatiue legi debet et exponi, id est *nullus* uel *rarus*. (2) Et enim Laurentius Vallensis, libro I *De Elegantiss*, capitulo XVI, ubi de *quisque* cum superlatiuo *quotusque* iungendo docet. Et ego post eum in meo *Elegantiarum breuiaria*, libro capituloque eisdem, circa finem, dicimus hoc modo: «*Quotus* etiam iungitur cum *quisque*, sed nunquam fere utimur nisi interrogatiue, et significat *quot*, ut Martialis (14, 218):

"Dic, quotus es? quanti cupias cenare?

nec unum addideris uerbum, mensa parata tibi",

id est *quot estis?* et *quot tecum habes?* Cicero *Pro Ligario* (*Lig.* 9): «*Quotus* enim istud quisque fecisset?», id est *nullus* uel *rarus*. (3) Non uenit in mentem, an cum aliis nominibus iungatur *quisque*. Hoc tamen scio non habere genitium pluralem, duntaxat cum adiectiuo iunctum. Ideo utimur genitiuo singulare pro plurali, idem est *optimi cuiusque animus* quod *omnium bonorum animus*. (4) *Vnusquisque* autem ideo non facile patitur superlatiuum, quia *unus* uim quandam et naturam superlatiuum obtinet, potiusque dicimus *unus quisque bonus* quam *unusquisque optimus*».

[13] Idem Cicero in eodem 3^o *De officiorum*, § *Lucii Municipii Basilii* (3, 18, 73), super *hoc et istud* ad propinqua relatis, sic inquit: «Qui hoc non prouiderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans "Est istud quidem honestum, uerum hoc expedit, res a natura copulatas audebit errore diuellere, qui fons est fraudum, maleficiorum, scelerationum, criminum omnium"».

[14] Idem in § *C. Marius* (3, 20, 79) per *is* et *ille* eundem, ut *Q. Metellum* refert, et *se* pro *ipsum* ponit, *se* proprie mox subiungens: «C. Marius -et infra- *Q. Metellum* cuius legatus erat, summum uirum et ciuem, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, bellum illum producere, et si se consulem facerent, breui tempore aut uiuum aut mortuum Iugurtam se in potestate populi Romani redacturum. (2) Itaque factus est ille quidem consul, sed a fide iusticiaque discessit, quod optimum et grauissimum ciuem, cuius legatus et a quo missus esset, in inuidiam falso crimine adduxerit».

[15] Idem in § sequenti (3, 20, 81) per *ista quae* de re propinqua sane mutua fit relatio: «Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quae dicitur, possit, quantum auferre, si boni uiri nomen eriperit, fidem iusticiamque detraxerit».

¹⁴ *Glossa Scalmus* sesula, id est illa pars ubi remus alligatur; pars pro toto. De glossa. *Scalmum*, id est nauiculam siue scapham. *Scalmus*, nauis uel illud ad quod nauis religatur, secundum *Catholicon*.

[16] Idem in § *Cum rex Pirrhus* (3, 22, 86), *is* circa diuersa repetit et *sibi* pro *ipsi* posuit, *seque* proprie et *hunc* ad proximiora demonstratiue, et *id illud*ue excelsiue, et per *quicumque eumque* relationem mutuam hoc modo: «Cum rex Pirrhus populo Romano bellum ultro intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente, profuga ab eo uenit in castra Fabricii eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se ut clam uenisset, sic clam in Pirrhi castra rediturum et cum ueneno necaturum. (2) Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pirrhum, idque eius factum laudatum a Senatu est, atque si speciem utilitatis opinionemque quarimus, magnum illud bellum profuga unus et grauem aduersarium imperii sustulisset, sed magnum dedecus et flagicium, quicum laudis certamen fuisset, eum non uirtute, sed scelere superatum».

[17] In eodem, § *Tullius* (3, 22, 88), *hos* ad proximiora, *illis* ad longiora refert, et *eo magis* et *quo pro tanto magis* et *quanto magis* subintellecto ponit: «Nimis mihi praefacte uidebatur aerarium uectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa socii, cum in hos beneficium esse deberemus. Et cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleremus, eoque magis, quo illa ordinum coniunctio ad salutem rei publicae pertinebat».

[18] Idem in § *Ac ne illa* (3, 25, 94-95), per *illa quae* mutuam relationem ponit et subinde per *illa* de eisdem relationem repetit, paulo post *suo regno* pro *ipsius regno* collocat: «Ac ne illa quidam promissa seruanda sunt? quae non sunt ipsis utilia, quibus illa promiseris». (2) Et infra: «Quid? Agamemnon cum deuouisset Dianae, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittendum fuit».

[19] Cicero idem in eodem, in § *Sed quoniam a quattuor fontibus honestatis* (*Off* 3, 26, 97), per *hac*, deinde *istam* demonstrat relationem post eandem rem propinquam, de qua principaliter agebatur, et per *ipse*, per *istius* de absente remotoque, licet de eo quaeratur principaliter, demonstrationem, et paulo post de eodem per *illi* relationem facit: «Non honestum consilium, at utile, ut aliquis fortasse dixit regnare, et Ithacae¹⁵ uiuere ociose cum parentibus, cum uxore, cum filio. Vllum tu decus in quotidianis laboribus et periculis, cum hac tranquillitate conferendum putas? (2) Ego uero istam contemnendam et abiiciendam, quoniam quae honesta non sit nec quidem utile esse arbitror. Quid enim auditorum putas fuisse Vlixem, si in illa simulatione perseuerauisset, qui cum maximas res esset in bello, tamen haec audiat ab Aiace?

"Cuius ipse princeps iurisiurandi fuit,
quod omnes scitis solus neglexit fidem,
furere assimilauit, ne quo iret institit.
Quod nisi Palamedes perspicax prudentia
istius percepisset maliciosa audaciam,
fide sacra ius prope tuo falleret." (Pac. = Ribbeck 55, 60)

(3) Illi uero non modo cum hostibus uerum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit quam deserere consentientem Graeciam ad bellum barbaris inferendum».

[20] Porro in § sequenti Cicero (*Off* 3, 26, 99; 3, 27, 100) per *ipse*, mox per *is* et bis de eodem relationem peragit, de quo et per *se* proprie relationem facit: «M. Attilius Regulus -et infra- iuratus missus est ad Senatum, ut nisi redditi essent Poenis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam uenisset, utilitatis speciem uidebat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicauit». (2) Et infra: «Cuius cum ualisset auctoritas, captiui retenti sunt. Ipse Carthaginem rediit. Neque uero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed iurandum conseruandum putabat».

[21] Idem in § *Quare ex multis* (3, 30, 40) per *hoc* et *hac* rem principalem et praesentem demonstrat ad oculum, et per *ista* eandem: «Quare ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius aut praestantius. Sed ex tota hac laude Reguli unum est illud admiratione dignum, quod captiuos retinendos censuit. Nam quod rediit, nobis non mirabile uidetur,

¹⁵ *Glossa* Ithaca cum *-i* latino in inicio et *-th-* aspirato atque *-c-* exili scribitur. Insula est, teste Plinio, libro III^o *Naturalis Historiae* (4, 54), ante Leucada et Achaia posita, charissima quidem dominio Vlixio, in qua mons Neritos esse dicitur, a quo tota insula non nunquam Neritos nuncupatur. *Ithacus* eodem modo scribitur et cognomen fuit Vlixis ab Ithaca insula susceptum. Ioannes Tortellus.

illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim uinculum ad astringendam fidem iureiurando maiores artius esse uoluerunt».

[22] Idem in § *L. Manlio Auli filio* (3, 31, 112) *eum* pro *se* saepe pro *eum*, seu *ipsum*, et *ille* per excellentiam denotandam, et *illum* relatiuum ad diuersum, et *sibi* bis pro *ei* uel *ipsi*, et *illis* demonstratiuum rei longioris et absentis, et *hic Titus* praepositiuum, et *is qui* subiunctiuum cum relatione mutua, et *ab eo* eiusdem relatiuum constituit: (2) «Quod cum audiisset adolescens filii negocium exhiberi patri, accurrisse Romam et eum prima luce Pomponii domum uenisse dicitur. Cui cum esset nunciatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adolescentem iussit uenire. (3) At ille puer, ut ingressus est, confestim gladium distinxit, iurauitque statim illum interfectorum, nisi iusiurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum. Iurauit hoc terrore coactus Pomponius. Rem ad populum detulit. Docuit cur sibi causa desistere necesse esset. Manlium missum fecit. Tantumque temporibus illis iusiurandum ualebat. (4) Atque hic Titus Manlius hic est, qui ad Anienem Gallum quendam, ab eo prouocatus, occiderat, torque detracto cognomen inuenit, cuius tertio consulatu Latini ad Vesperim fusi et fugati. Magnus uir in primis, et qui nuper indulgens in patremque idem acerbe seuerus in filium».

[23] Posthac in § *Restat quarta pars* (3, 33, 117-120), *isto* pro *re* iuxta posita principaliterque tractata demonstratiuo utitur, et *eum qui* ac *ei qui* post bis *ille* demonstratiuum relatiuumue disponit: «Quam miser uirtutis famulatus seruientis uoluptati! Quod autem munus prudentiae? an legere intelligetur uoluptates? Fac nihil isto esse iocundius, quid potest esse turpius? (2) Iam, qui dolorem summum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo? quae est dolorum laborumque contentio? Quamuis enim multis in locis dicat Epicurus sicut hic dicit satis fortiter de dolore, non tamen id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona uoluptate terminauerit, mala dolore. (3) Vt si illum audiam de continentia et temperantia, dicet ille quidem multa multis locis, sed aqua haeret, ut aiunt. Nam qui potest temperantiam laudare is qui ponat summum bonum in uoluptate? Est enim temperantia libidinum inimica. Libidines autem consecratrices uoluptatis». (4) Et infra: «Quo magis reprehendendos Calliphonem et Dinomachum iudico, qui se dirempturos controuersiam putauerunt, si cum honestate uoluptatem tanquam cum homine pecudem copulaissent. Non recepit istam coniunctionem honestas, aspernatur, reppellit». (5) Et infra: Sin autem speciem utilitatis etiam uoluptas habere dicitur, nulla potest ei cum honestate coniunctio».

[24] Idem Cicero in § finali (*Off.* 3, 33, 121) *hic* et ad oculum et ad intellectum demonstratiue ponit, et *ipse* per subintellectum *ego* per eclipsim, praetermissum cum uerbo primae personae coniungit: «Habes -inquit- a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum, sed perinde erit, ut acceperis. Quanquam hi tibi tres libri inter Cratippi commentarios tanquam hospites erunt recipiendi. (2) Sed ut, si ipse uenissem Athenas, quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara uoce reuocasset patria, aliquando me quoque audires, sic quoniam in his uoluminibus ad te profecta uox est mea. Tribues his temporis quantum poteris. Poteris autem quantum uoles. (3) Cum uero intellexero hoc scientiae genere te gaudere, tum et praesens tecum prope diem, ut spero. Et deinde aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibi que persuade esse mihi te quidem charissimum, sed multo fore chariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere».

IX. Salustius in Catilinario.

[1] Quae per praecepta de pronominum qualitatibus, id est demonstratione relationeque cum reciprocatione retransitioneque *sui*, et natura praepositiuia *hic*, et subiunctiuia *is*, docueramus, per quamplurima Ciceronis exempla collocauimus ante oculos, et quidem perinde, ut rem luce fecerimus clariorem. (2) Et licet haec ex aliis Ciceronis operibus confirmare possemus, tamen his duobus uoluimus esse contenti, et aliorum pro alia aliquantulum magis nostrum propositum roborare et multa ex dictis in 2^o libro per exempla dilucidius edocere, quorum pleraque breuitatis causa, duntaxat extra pernotabimus. (3) Salustius enim, uir doctissimus elegantissimusque, in *Catilinarii* dicit principio (1, 1, 1-5): «Omnes homines qui sese student praestare ceteris animalibus summa ope niti decet, ne uitam silentio transeant ueluti pecora». Et infra: «Et quoniam ipsa uita, qua fruimur, breuis est, memoriam nostri quammaxime longam efficere». (4) Et infra: «Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, uine corporis an uirtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius quam incipias consulto, et ubi consulueris, mature facto opust est. Ita utrunque per se indigens, alterius alterum auxilio indiget». Et

infra: «Sua cuique satis placebant». (5) Et infra (*Cat. 2, 1-9*): «Quod si regum atque imperatorum animi uirtus ita in pace ut in bello ualeret, aequalibus atque constantius res humanae sese heberent, neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneret. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus in inicio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate libido atque superbia inuasere, fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optimum quenque a minus bono transfertur». (6) Et infra (*Cat. 3, 5; 4, 2*): «Verumenimvero is demum mihi uiuere atque frui anima uidetur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut bonae artis, famam quaerit». Et infra: «At me cum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilominus honoris cupido eadem, quae ceteros fama atque inuidia uexabat». (7) Et infra: «Sed a quo incepto studio me mala ambitio detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani captim, ut quaeque memoria digna uidebantur perscribere, eo magis quo mihi a spe et metu partibus rei publicae animus liber erat. Igitur de coniuratione Catilinae, quamuerissime potero, paucis absoluam. Nam id facinus in primis ego memorabile existimo sceleris atque periculi nouitate, de cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

»[2] L. Catilina (Sall. *Cat. 5, 1-ss.*), nobili genere natus, fuit magna ui et animi et corporis, sed ingenio malo prauoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, ciuilis discordia grata fuere, ibique iuuentutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, alioris, uigiliae, supra quam cuiquam credibile est. (2) Animus audax, subdolos, uarius, cuius libet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, parum sapientiae. Vastus animus inmoderata et incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Syllae libido maxuma inuaserat rei publicae capiundae; neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pareret, quicquam pensi habebat. (3) Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque his artibus auxerat, quas supra memorauimus. Incitabant praeterea corrupti mores ciuitatis, quos pessima et diuersa inter se mala, luxuria atque auaritia, uexabant.» Et infra:

[3] «Vrbem Romam (Sall. *Cat. 6, 1-ss.*), sicut ego accepi, condidit atque habuere in inicio Troiani, qui Aenea duce profugi incertis sedibus uagabantur. Cunque his ab origine genus hominum agreste sine legibus, sine imperio liberum atque absolutum. Hi postquam in una moenia conuenere dispari genere, dissimili lingua, alii alio more uiuentes, incredibile est memoratu, quam facile coaluerunt. (2) Sed postquam res eorum ciuibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens uidebatur, sicut pleraque mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta est». (3) «Delecti quibus corpus annis infirmum ingenium sapientia ualidum erat, rem publicam consultabant. Hi uel aetate uel curae similitudine patres appellabantur, post ubi regium imperium, quod inicio conseruandae libertatis atque augendae rei publicae causa fuerat, in superbiam dominationemque se conuertit, immutato more, annua imperia binosque imperatores sibi fecere, eoque modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum. (4) Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspiciores sunt, semperque his aliena uirtus formidolosa est». (5) Et infra: «Sed gloriae maximum certamen inter ipsos erat, sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat. Eaque diuicias eaque bonam famam magnam nobilitatem putabant, laudis auidi, pecuniae liberales erant. (6) Gloriam ingentem diuiciasque honestas uolebant memorare possem, in quibus locis maximas copias hostium populus Romanus parua manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius ab incepto nos traheret. Sed profecto fortuna in omni re dominatur. Ea res cunctas ex libidine magis quam ex uero celebrat obscuratque».

X. De unus numerum pluralem habentem.

[1] Cum autem Salustius hic dicat *in una moenia conuenere et inueniatur unae et alterae scalae et unae et altera tabulae et*

"Ex unis nuptiis fecisti mihi geminas"

in *Andria* (674), et *in unis aedibus* in *Euncho*, apud Terentium, et: «In tradendis unis aedibus ab eo, qui binas habet» (Ter. *Eun. 367*), apud Paulum, *l. In tradendis unis aedibus, ff., Communia praediorum* (D. 8, 4, 7), et *unis litteris pro una epistula*; (2) et *unae litterae et unas litteras* apud Ciceronem, in suis epistolis dubitari potest, unde hoc proueniat, cum *unus* unitatem non pluralitatem significet. Ad hoc facilis est responsio:

quod hic unitas non geminantur, haec enim principalis est eius significatio, sed unitas et unum et ut plura potest apprehendi, nec mirum, cum unitas pura sit, sed quantum ad apprehendendi modum geminat singulare, ut fit in quibusdam nominibus in numero plurali tantummodo declinatis, quae quandoque *unum* ut *plura*, quandoque *plura* ut *plura* significant. (3) Itaque recte dicitur *unae nuptiae*, *una arma*, *una moenia*, sed male *uni homines*, *unae mulieres* et eadem ratione *uni manes*, *uni penates*, *uni proceres* dici posset, sed non reperiuntur auctores sic in masculino genere fuisse usos. (4) Sciendum quoque quod *unus* quandoque animorum significat unitatem, unde in *Actibus Apostolorum* (4, 32) dicitur: «Multitudinis credentium erat cor unum et anima una», et ita dici posset *hae mulieres sunt unae*, id est *unanimes*, et *corda nostra sunt una*, id est *una anima*, unde Lucanus (1, 548-49):

«Fecere nefas in partibus unis»,

id est *unius animi et voluntatis*. (5) De hoc per *Catholicon* in III^a parte sui operis in capitulo de numero nominum, § *Sed quaeritur de quibusdam nominibus* (3, 47), et per Laurentium Vallensem (Eleg. 3, 6-9) et me in meo *Elegantiarum breuiario*, libro III^o, capitulo VI, VII, VIII et IX. (6) Enimvero contra *Catholicon* opinionem et dictum apud T. Liuium repperi *uni* numero in plurali, und ego in eo IX capitulo Laurentio *unos*, *binos*, *ternos ortos* ponenti, sic addidi: «*Vnus* naturaliter numerum pluralem non habet, nam proprie rem singulariter dictam significat. Verum si cum nominibus duntaxat in numero plurali declinatis coniungatur, eum admittit, ut *unae litterae*, *unae aedes*, *unae nuptiae*, *uni pugillares*, *uni orti*, ut supra, in VI, VII, VIII et IX capitulis, dictum est. (7) Verumenimvero apud Liuium libro XXIII^o, in principio capituli VII(Liv. 3, 20, 4), in plurali cum *uno populo*, *gentis unius* reperitur adiectum, sic enim habetur ibi: "Eodem tempore Petelinos, qui uni ex Bruciis manserant in amicicia Romanorum non carthaginenses modo, qui regione obtinebant, sed Brucii quoque ceteri ob separata a se consilia oppugnabant". (8) Quin immo de rebus pluraliter dictis et deinde in duas partes separatis, prima pars in numero plurali ad unitatem et separationem denotandam *unum* in numero plurali suscipit. Nam Liuius XXV^o (25, 7, 5) libro sic eleganter ait: "Et triumuiroi bini, id est uni sacris conquirendis donisque, alteri reficendis aedibus fortunae." (9) Horum autem nominum in numero plurali duntaxat declinatorum dualitas numerique sequentes per nomina numeralia partitua denotantur, ut *binas*, *ternas*, *quaternas*, *quinque*, *senas*, *septenas*, *octonas*, *nouenas*, *denas litterae*, *nuptiae*, uel *aedes* pro *domibus*, non pro *templis*. (10) Nam et in antedicto capitulo VI^o de *littera* et *epistula* sic habetur: "Littera in singulari numero significat elementum ipsum ut, A, B, uel manum scribentis, ut *Ad Actium* Cicero (7, 2, 3): 'Nam Alexidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae litterae'. (11) In plurali uero epistularum, praeterquam apud poetas, qui pro epistula uersus gratia in singulari semper utuntur, ut Ouidius (*Her.* 3, 1):

'Qua legis, a rapta Briseide littera uenit'.

Nam quod Cicero scribit ad se nullam litteram Bibulum misisse, ita ait quasi nullum uerbum *misisse*, quod ut uehementer extenuaret, non dixit *uerbum* aut *syllabam*, sed *litteram*. (12) Frequentissimum igitur est *litterae* pro *epistula*, inter quae duo nomina haec elegantiae differentia est, quod dicimus *unam epistulam*, *unas litteras*, *duas*, *tres*, *quattuor*, *quinque epistulas*, *binas* uero *litteras*, *ternas*, *quaternas*, *quinque*, *senas*, *septenas*, *octonas*, *nouenas*, *denas*. Nunquam aliter, quale esset *unas*, *binas*, *ternas epistulas*, *duas*, *tres*, *quattuor litteras*. (13) In hoc tamen conueniunt, ut dicamus *dedi singulis*, uel *unicuique* uel *utrique*, siue *singulas litteras* siue *singulas epistulas*. Iterum in maiori numero non conueniunt, ut *dedi singulis duas litteras*, uel *binas epistulas*, sed *binas litteras* et *duas epistulas*, non autem secus. (14) In quo obseruandum est de ceteris quoque uocabulis, ut si dicas *accepi a te binas litteras*, non subiungas quorum alteri respondi per proximum tabularium, alteri nunc respondeo, sed alteris. Secus de *epistula* Cicero fere ait *accepi litteras*; Plinius frequenter etiam *recepi*, nisi libri mendosi sint». (15) De hac materia plena per Nicolaum Perottum, capitulo *De componendis epistulis* (fol. h5r.), post principium, et in § *Quid interest inter litteram et epistulam*.

[2] In capitulo uero VII^o, ubi de *aedes* et de quibusdam eius deriuatiuis agitur, sic habetur: «*Aedes* in plurali accipitur pro *domo*, nec unquam aliter, ut *meas aedes*, non proscribam. In singulari atque etiam in plurali pro *templo*. Cicero *Philippicarum* libro I (1, 1): "Ex eo die quo in aedem Telluris conuocati sumus, in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis", *in quo templo*, id est *in qua aede Telluris*. (2) Ego tamen apud Q. Curtium, libro VIII^o, ante medium (Curt. 8, 6, 3), in numero singulari pro *domo* uel *regia* repperi: "Excubabant seruatis noctium uicibus proximi foribus eius aedis, in qua aquiscebat". Et paulo post: "Stabant igitur ad fores aedis eius, in qua rex uescebat". (3) Sed in hac re *aedes* pro *templo*, a uerbo *templo* differt quod utroque numero semper adiectionem habet, ut *in aedem Iouis*, *Mercurii*, *Mineruae*, *in aede Concordiae*, *Telluris*, *Honoris*, *Virtutis*, *in aede Sacra*, et in plurali *sacras aedes*, *aedes deorum*, *aedes nympharum*. (4) Igitur pro *templo* dicemus *duas*, *tres*, *quattuor deorum aedes*, *duas sacras aedes*, pro *domo* *unas*,

*binas, ternas, quaternas, binas priuatas aedes. Aeditui autem ab aedibus sacris quas tuentor appellati sunt, quibus curandis propositi erant. Aedificare autem magis ad domos hominum spectat, quam deorum, nec domos tantum uerum etiam naues, ut Cicero (Off. 3, 98): "Qui cum maximas aedificasset instruxissetque classes"». (5) Nicolaus Perottus in capitulo *De relatiuis*, uersiculo *Alia sunt diuisiua in pares numeros* (fol. k3u), sic ait haec confirmans: «Ponuntur aliquando *bina* pro *duo* et *terna* pro *tria*? Ponuntur, quotiens substantiua, quibus iunguntur, declinantur tantum in plurali, ut *binas, ternas, denas litteras*, non *duas, tres, decem*. (6) Interdum tamen poeta etiam cum aliis substantiuis eodem modo usurpant, ut Virgilius (*Aen.* 1, 313):*

"Bina manu lato crispans hastilia ferro".»

[3] In VIII uero capitulo de *liberi* sic scribimus: «*Liberi* pro *filii* singulare non agnoscit, cuius natura a superioribus dissentit, nam ut dicam *lego Ticio ternas aedes, unas in foro, alteras in Ianiculo, tertias in Subura*, ita non dicam *ex ternis liberis meis unos, alteros, tertios, sed ex tribus liberis meis, unum in alienam familiam dedi, alterum abdicauit, tertium heredem institui*. (2) Cuius rei causa est, quod dum dico *unum, alterum, tertium*, adiungi solet *filium*, et *tres liberos* quasi *tres filios*. Quod ita non fit in *aedes*, in *litteras*, nisi subintelligas *domum* uel *epistulam*. Sed quid facies in ceteris? In *nuptias*, in *pugillares* absurdum sit dicere *unam nuptiam, unum pugillarem, pugillares* autem significat tabellas cereas siue ligneas siue alterius materiae, in quibus stilo scribimus.»

[4] In IX^o capitulo de *ortis* disserimus: «*Ortus* quoque eiusdem naturae est. Nam in singulari pluralique pro *ortis olitoriiis* accipitur, id est olera producentibus. Est enim *olus*¹⁶ omnis herba satina, qua uescimur et cuius foliis et caulae in aedulium utimur. (2) *Orti* uero in plurali arboribus consiti dicuntur et uoluptatis amenitatisque causa comparati. In superiore igitur significatione dicemus *unum ortum, duos, tres ortos*. In posteriore *unos, binos, ternos ortos*, nisi alicuius auctoritas aliud sibi uendicauerit.»

[5] In X^o capitulo de *odor* prestringimus: «*Odor* huic simile est, qua uoce notum est quid in utroque numero significet. In plurali uero tantum odoramenta, ut *odores ex Arabia sunt*. Hoc tamen nomen raro cum numeralibus iungitur, sed cum aliis adiectiuis.»

[6] In XI^o de *commeatus* edocemus: «*Commeatus* et *siqua* sunt similia, talem ambiguitatem non recipiunt, siquidem superiora in uno sensu numerum utrunque habent, in altero tantummodo pluralem. Hic uero in altero duntaxat singularem. Est enim *commeatus* in singulari tantum facultas ad tempus a militia ab alioque ministerio recedendi, quam praebet militi imperator praepositusque inferiori, eundique quo uelit, ad prescriptum diem reuersuro; (2) licet Liuius libro XXIII^o ait (23, 18): "Magna pars sine commeatibus dilabebatur". In utroque autem numero pro cibariis ad alimoniam rei publicae aut exercitus aut alicuius multitudinis interdum etiam priuatim accipitur. Cicero *Pro lege Manilia* (53): "Iam commeatu et priuato et publico prohibebamur". (3) *Catholicon* uero dicit: «*Commeatus, -us, ui, a commeo, -as, -ui* dicitur, id est *simul meatus*. *Commeatus* etiam dicitur *expensa*, quae est necessaria simul meantibus. Quod autem *commeatus* in prima significatione accipiatur saepenumero». (4) Vlpianus ff., *De re. mi., in l. I* (D. 49, 16, 1), declarat sic inuens: «Miles, qui in commeatum agit, non uidetur rei publicae causa abesse», et dic secundum Accursium: «Agit, scilicet uagando, ne obstet supra, *Ex quibus cau. ma., Qui mittuntur, § finali*». (5) Et ad primam significationem confirmandam Modestinus in *l. III, § Si ad diem commeatus, C., De re. mili.* (D. 49, 16, 14), facit: «Si ad diem commeatus quis non ueniat, perinde in eum statuendum est, ac si emansisset uel deseruisset pro numero temporis, facta prius copia docendi, nisi forte casibus quibusdam detentus sit. Propter quos uenia dignus uideatur.» (6) Et hic glosam primam nota sic dicentem: «Ad diem commeatus, id est ad diem positum in commeatu, ut uadat forte ad custodiam alicuius castris uel loci, uel dicit, ut redeat domum intra diem statutum a licentiantie uel a lege, scilicet XX milium diurnorum, ut *S. siquis cau., l. I*; (7) et ad hoc *l. I. Qui commeatus, et S. quibus ex cau. maioris sicui, § fi.*: «Sed ad quod curatur ut uadat cito uel non? Responso: Quia interim recipit salaria, quae perdet si negligat redire», ut infra, § proximo. Tu dic potius propter interesse militiae et castrorum, ut plenius defendantur, et ut fortius hostes oppugnentur». (8) Nec Paulum omittas in dicta *l. Qui commeatus* (D. 49, 16, 14) scribentem hoc modo: «Qui commeatus spacium excessit, emansoris uel desertoris loco habendus est, habetur tamen ratio dierum, quibus tardius reuersus est. Item temporis

¹⁶ Glossa: *Olus* secundum *Catholicon* ab *ala, -is* dicitur *olus, -eris*, qualem herba ortulana; et dicitur ab alendo quia primum homines de olere alerentur, et hoc prius quam fruges et carnes edent; olus quoque cibus in factus dicitur sumitasque herbarum, hic pro qualem herba ferenda et uescenda. Ioannes Raimundus Ferrarii.

naigationis uel itineris. Et si se probet ualitudine impeditum uel a latronibus detentum similiue casu moram passum, dum tamen non tardius a loco se profectum probet, quam ut occurrere possit intra commeatum, restituendus est». (9) Et hoc etiam C. in titulo *De Commeatu* (C. 12, 43), in rubro et in nigro, Bartolo Ioanneque de Platea coniunctis ibi scribentibus, libro XII^o, plenius roboratur. (10) Nec Nicolaus Perottus praetereundus est, qui in capitulo *De componendis epistulis*, § *Dare ueniam*, uersu *Quippe* (fol. n6u.), scite sic inquit: «Quippe tria significat *commeatus*: annonam, locum in quo publicae annona custoditur et facultatem abeundi, ut *petii ab imperatore commeatum, accepi ab imperatore commeatum, dedit mihi imperator commeatum*».

[7] In XIII^o capitulo de *quaestibus* et *quaestibus* Laurentius et ego sic exponimus: «*Quaestus* in plurali pro *quaerela*, a *quaeror*, unde fit *conquaeror*, cuius datiuus et ablatiuus est *quaestubus*, ut *portubus*; *quaestus* in utroque numero, cuius pluralis datiuus et ablatiuus est *quaestibus*, a *quaero*, unde fit *conquiro*. (2) Deriuatur per sincopam a supino *quaesitum*, significatque numarium lucrum, nam lucrum uocamus etiam non numarium uelut amicitiae, gloriae, scientiae ceterorumque huiusmodi. *Quaestum* quoque non nunquam pro actione ipsa atque artificio lucrandae pecuniae».

[8] Nos iidem in XIII^o capitulo, de *scala* et *scalae*, sic dicimus, iunctis his, quae ex primo *Antidoti* (Valla *Antid.* 1, 8, 5) ipsius Laurentii decerpta ipsi XIII^o capitulo coniunxerim: «*Scala* a quibusdam in singulari usurpatur. Quintilianus libro primo (1, 5, 16) : "Scala tamen et scopa contraque ordea et mulsa licet litterarum mutationem, detractionem adiectionemque habent, non alio modo uiciosa sunt, quam quod pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur". (2) Cornelius Celsus qui prior Quintiliano fuit, libro VIII (Cels. *De med.* 8, 15, 5), *scala* in numero singulari usus est, et Caius quoque *De furtis*, l. *Si pignore*, § *Qui ferramenta* (D. 47, 2, 55, 4), ut de his ab eodem Laurentio in primo sui *Antidoti* (1, 8, 5) super textu *excitabatur*, machina plenius edocetur, ubi etiam Salustius allegatur cum aliis quibusdam, ostendit pluralem tantum habere, cum dixit in *Iugurthino* (6, 7): (3) «"Deinde ubi unae atque alterae scalae comminutae sunt, quae superteterant, afflictae sunt", sed hoc uerum quando ibi multae scalae sunt coniunctae et quidem sic, ut una uideatur, ut in huiusmodi bellicis fere fit, ibi nanque una alteri superadditur simplexque censetur.» (4) Et ad antedicta confirmanda magis, inter quae sit contra *Catholicon* etiam *uni* et *unos* in plurali dici posse, coniungo, quae super *cuniculis unis* in hoc XIII^o sic adiunxi capitulo: «Itidem fit in *cuniculis unis*, quando introrsum multiplices sunt cuniculi, sed in medium unius, ut ibi unitas esse putetur. Et hoc istae epistulae, ubi in una multae litterae in unum, id est in unam eandem epistulam coniunguntur. (5) Et ideo *litterae* pro *epistula* tantummodo in plurali numero declinantur, et *unas litteras, binas, ternas, quaternas* dicimus, ut antehac fuit expositum. Et idem in omnibus huiusmodi est dicendum, licet alias singulariter uariantur.» (6) Quas ob res idem Laurentius recte libro primo sui *Antidoti* (1, 8, 28), super textum *et principio quidem cuniculi uni erant*, se defendit sic inuens: «Poteram dixisse *unos cuniculos* pro unum, ut *binos sciphos* pro *duos*, et *utrosque* pro *utrunque*, et *unae* pro *una*. M. Tullius qui in Verre sexta (Cic. *Verr.* 2, 4, 32) sic ait: "Sciphos binos habebam, iubeo promi utrosque". (7) Et alibi (*Her.* 1, 3, 33): "Duplices similitudines esse debent: unae rerum, alterae uerborum", sed simpliciter et, ut res est, potius respondebo me sic dixisse *unos cuniculos*, ut T. Liuius (4, 52, 7) *binos*, nec enim dicentur *bini*, nisi dici possent *uni*. Erant enim duo capita cuniculorum sed introrsum ipsi cuniculi multiplices. Itaque non *unus* sed *uni* necessario mihi dicendum fuit».

[9] In XV^o quidem capitulo de *pondo* sic praecepta damus: «*Pondo* autem numero singulari caret, teste Foca. Dicimus enim *duo pondo, tria pondo*, non *bina pondo* aut *terna pondo*. Quintilianus in primo (1, 5, 14): "Quid quod quaedam singula procul dubio uiciosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur. Nam et *dua* et *tre* et *pondo* diuersorum generum sunt barbarismi". (2) At *duappondo, trepondo*, usque ad nostram aetatem ab omnibus dictum est. Et Messala recte dici confirmat. Et causa est, sicut de *liberis* diximus, ut *relinquo liberis meis duo pondo auri, alterum signatum alterum rude*, intelligitur *libram*. Idem est enim *duae, tres, quattuor librae*, quod *duo, tria, quattuor pondo*, ut quidam uolunt. (3) Quod multi auctores non probant, ut Liuius libro XXII^o, capitulum VI^o (22, 23, 6): "Argenti pondo bina et sex libras in militem praestaret". Idem libro XXVI^o, scilicet libro VI^o *De bello Punico II*^o (26, 36, 6): "Argenti, qui curuli sellae sederunt, equi ornamenta et libras pondo"; et eodem libro, ante finem (26, 47, 7), textus est apertior: "Paterae aureae fuerunt CCLXXVI librae ferme omnes pondo argenti factae signataeque decem octo milia et trecentorum pondo uasorum argenteorum magnus numerus". (4) Hic autem ponderandum reor *libram* de auro, *pondo* autem de argento dici, et forte *pondo*, quod genus ponderis uidetur esse, multo maioris ponderis quam libra est habendum, sicut *roua* et *quintar* respectu librae penes nos impresentiarum est, ut uulgari sermone uti liceat. Nam et ubi ars mendicet, fingere uerba licet. (5) Varro uero *De uitis patrum*

libro III^o (Varr. *De uit. Pop. Rom.* Fr. 102), *pondo* ad aurum adiecit. Inquit enim ibi: "Itaque retulit auri pondo mille octingentium septuaginta quinque". Et idem Nonius (163) subiicit: "Pondo est ducentum". Varro (fr. 97) saepe *De uitis patrum*: "Delphos Numam missa corona aurea pondo ducentum". (6) *Catholicon* autem dicit: "Pondo neutro genere et indeclinabile pro *quodam morbo* et pro *pondere* accipitur, et deriuatur a *pondus*, unde et in *Vita beati Nicolai* habetur: "Quod auri pondo trium uirginum ademit pudorem". *Pondus* a *pendeo*, -es, dicitur *onus* uel *grauitas* uel quod trutinatur et mensuratur. (7) Et dicitur a *pondera*, quia in statera libram ponderat. Hic et *pensum* dicitur quasi *ponsum*, sed abusiue *pondus* uel una libra uel unus as est. Et a *pondus* hoc *pondusculum* diminutiuum et *ponderosus*, -a, -um, id est *grauis*. Et comperatur unde *ponderose*, -ius, -issime, unde *ponderositas*, -tatis." Genera uero ponderum ponit hic *Catholicon*. (8) Et Ioannes Tortellus Aretinus in uerbo *Talentum*. "Quod nomen, sed eum sine aspiratione aliqua et unico -l- scribitur. Est ponderis cuiusdam nomen, teste Iulio Polluce ad Commodum Caesarem. Et duplex est: Atticum et Euboicum. Rursus et Atticum duplex est: magnum et paruum. Magnum octoginta tres libras et quattuor uncias habet; quod si Romanos ad numos referre uolumus Priscianus ait sex milia denariorum Romanorum habere. (9) Paruum uero talentum, teste Dardano, sexaginta libras continet. Euboicum uero, licet minus Attico fuerit, non tamen longe minus. Nam, teste Festo (Fest. *talentorum*), quattuor milium numerum Romanorum erat". Tandem Tortellus omnia nomina XII unciarum seu XII partium assis plene declarat et exponit. Ioannes uero in suo dicit *Compraensorio*: "*Pondo* neutro et indeclinabile *pondus* est, scilicet libra una".»

[10] Quidam etiam secundum Laurentium in eo ipso XV^o capitulo, singularem huic nomini dant numerum, cuius conditionis *ludus* et *ludi* sunt. Ego tamen reor *pondo* neutrum genus et indeclinabile numerum quoque singularem habere, sed frequentius inueniri *duo* autem uel *tria pondo*, non *bina* uel *terna* dici, et *duapondo* et *trepondo* coniuncta, non separata, ut *dua* et *tre pondo*que proferri posse; (2) et *pondo* pro *pondere* in genere, et pro libra in specie, uel magis pro alio ponderis genere quod maius sit, intelligi. Ita quod secundum Liuium magis ad aurum *libra*, ad argentum uero *pondo* pertineat.

[11] *Ludus* autem et *iocus*, ut Laurentius et ego post eum libro III^o, cap^o XVI, disserimus: «Quid significant, tum ex Cicerone *De oratore* (2, 216), tum ex Quintiliano (6, 3, 21) de ridiculis, colligitur ut *iocus* in uerbo, *ludus* in facto sit, tamen quandoque alterum pro altero accipitur. *Ludere* etiam dicitur uersibus scribere, sed non fere nisi opusculis qualia sunt epigrammata et haec opuscula *ludus* dant. (2) De quo per Seruium in prima *Egloga* Virgilii (1, 10): "*Adludere* est cum aliud dicimus, ad aliud latenter referendo sententiam. Item *ludus* a *lusu* siue *lusionem* differt; *ludus* enim tum periculum, tum spem habet sibi inter *ludum* et *lulum* siue *lusionem* propositam. *Lusus* nihil praeter uoluptatem meram; itaque qui *pila* qui *troco*, qui *tesseris*, qui etiam quocumque genere talorum delectationis, gloriam *ludunt*; *lulum* potius quam *ludum* dicuntur exercere. Quidam tamen *ludum* quoque *lulum* uocant. (3) Dicimus etiam *ludum* scholam ipsam ubi et periculum et spes est et certe labor, atque uapulatio. *Ludus* etiam *Armorum* dicitur qui et *gladiatorius* ubi *gladiatores* discunt. *Ludos* tamen *gladiatorios* frequentius quam *ludum* appellamus, quotiens unum pleraue paria *gladiatorum* ad spectaculum pugnatura producuntur. (4) Quae res *munus gladiatorium* nominatur quia populo tanquam *munus* donatur, et qui donat *munerarius*, et qui familiam *gladiatorum* habet *gladiatoresque* domi in disciplina et in ludo exercet postque uendit, *lanista*. (5) Vocantur autem *ludi gladiatorii* sicut *ludi Apollinares*, *ludi circenses*, *ludi saeculares*, nam *spectacula publica*, utique in honorem deorum *ludos* antiqui uocabant, ut non absurdum sit sollemnitate in natali die saeculorum cum apparatu illo et pompa *ludos* uocari. (6) Itaque si de huiuscemodi ludis quispiam *uni*, *bini*, *terni*, *quaterni ludi* praetulerit, ut de *ortis culiculis* que scripsimus, et nihilominus si quosdam *duos*, *tres*, *quattuor*que *ludos* dixerit, ut et *pondo* est praefatum; utrumque recte secundum antedicta posset defendere.

XI. Textus Salusti binosque imperatores sibi fecere. De numeralibus.

[1] Satis dixisse puto de *unus* propter eum Salustii textum, qui est *in una moenia conuenere*, quo pacto numerum pluralem possit recipere, de quo et plene dicendum fuit, nam et res saepe occurrit et *unus*, *a*, *um* est de illis VIII nominibus, quae secundam declinationem sequuntur. (2) Tempestiuum est ut ad ipsum Salustum redeamus si prius eius textum praelibatur *unos binosque imperatores sibi facere* exposuerimus et huius rei occasione qui propiam de numeralibus in medium addiximus quippecum quotidiana sint et ideo nullatenus negligenda sed accuratius attingenda. (3) Paulus enim in *l. Legau, ff., De liber. le.* (D. 34, 3, 25), eleganter ait et plenius rogo quae ad haec spectant attingas quotidiana enim sunt. Exponas igitur *binosque imperatores sibi facere*, id est per singulos annos duos. *Binus* enim siue *bini*

singulis duo, et *ternus* siue *terni* singulis tres significat. (4) Nam et Laurentius Vallensis et ego post eum, libro III^o, cap^o V^o, scilicet de numeralibus, sic docemus. Primum hoc admonemus, in quo plerique falluntur: «*Treceni* scribendum esse, non *triceni*, cum significet numerum trecentenarium, quod sicut cetera sincopatum est. Dicimus enim *dueni* pro *ducenti*, *treceni* pro *trecenti*, *quadrigeni*, *quingeni*, *sexcenti*, *septingeni*, *octingeni*, *nongeni*, uel *nonigeni*, pro *quadringenti*, *quingenti*, *sexcenti*, *septingenti*, *octingenti*, *nongenti*, uel *nonigenti*. *Centeni* autem et *milleni* non sincopantur quia perlonge dictiones sicut superiores non sunt. (5) *Triceni* autem caret sincopa sed *-g* in *-e* immutauit, sicut *uiceni* pro *uigenti*, et *triceni* pro *trigenti*, *-c* enim et *-g* uocis sunt simillimae, quae admodum *-d* et *-t*, propter quod *quadringenti* pro *quatringlyenti* dicimus, in quo nomine et *-t* in *-d* et *-c* in *-g* mutatum est, et nequis infra centum quoque fallatur ut supra centum docuimus; (6) doceamus dicendum esse *singuli bini, terni, quaterni, quini, seni, septeni, octoni, noueni, deni, undeni, duodeni, ternideni, quaternideni, quindeni, senideni*, uel *deniquaterni, deniquini, deniseni, denioctoni, deninoueni*. *Viceni singuli, Vicenibini, Viceniterni*, uel *singuli et uiceni, bini et uiceni, terni et uiceni* et ita deinceps. (7) Tum *triceni, quadrageni, quinquageni, sexageni, septuageni, octogeni*, non *octuageni*. *Octoginta* enim dicimus non *octuaginta*, *nonageni* non *nouageni, deni, centeni*. Ideo autem haec nomina in plurali protulimus, quod in prosa scribentes fere plurali utuntur. In carmine frequenter etiam singulari. (8) Et singularem quidem horum nominum numerum, non prosa oratione scribentium, ait Priscianus esse sed poetarum. Ut Lucanus in VIII^o (8, 444):

"Gurgite septeno rapidus mare summoet amnis".

(9) Priscianus enim II^o maioris (2, 32) in capitulo de possessiuis in *-nus* terminatis, circa finem, ait: «Alia a numeris semper pluralia, ut *bini, terni, deni*, sic ab omnibus numeris, quamuis poetica auctoritate etiam singularia inueniuntur. Lucanus in VIII (8, 443-44):

"Syrtibus hic Lybicus tuta est Aegyptus,
at inde gurgite septeno rapidus mare summoet amnis".

Virgilius in X^o (*Aen.* 10, 207):

"It grauis aulestes centena arbore fluctum uerberatas
surgens, spuman uada, marmore uerso".»

(10) Verum tamen non tantum poetarum uideo esse sed non nunquam etiam aliorum, ut Plinius libro XVII (17, 211): "Traduces Gallica cultura binis utrinque lateribus, si pars quadrageno distet spacio. Quaternis uiceno inter se obuui miscentur". Et in XXVI^o (26, 99): "Prodigiosa sunt quae circa hoc tradit Theophrastus auctor alioquin grauis septuageno coitu durare libidinem tactu herbae", cuius nomen speciemque non posuit. *Septuageno*, id est LXX coitibus per singulas noctes. (11) Nam ita haec nomina exponuntur, ut *creabantur olim bini consules*, id est per singulos annos duo. Utuntur ergo oratores legitima significatione horum nominum. *Binus* enim siue *bini* significat singulis duo, *ternus* siue *terni* singulis tres. At poeta non ita, septenus enim *gurges* non est singulis septem, sed tantum septem uni flumini Nilo. (12) Nec in singulari modo significatione hac abutuntur uerum etiam in plurali, ut idem (Verg. *Georg.* 1, 232):

"Per duodena regit mundi sol aureus astra",

Et nomina numeralia terminata in *-rius* numerum aliarum rerum quae non nominantur indicant, non multiplicationem sui ipsorum, ut *lapis centenarius* non quod sit centuplus lapis, sed centum librarum, *homo centenarius*, non quod sit centumgeminus, sed quod habeat centum annos. *Grex centenarius*, non quod sint centum greges, sed grex centum capitum. (13) Rursus non dicemus *centenariam libram*, sed *centuplam*, non *centenarium annum*, sed *centuplum*, tamen dicimus *centenarium, septenarium, duodenarium numerum*, siquidem numerus omnia complectitur. Est *centenarius*, siue *decenarius*, siue alius quiuus numerus ceterarum rerum, librarum, annorum similibusque. Ideo recte dicimus *centenarium numerum annorum ingressus est*, non autem *centenarium annum*. Et *millenarium numerum pondo portat*, non autem *millenaria pondo*. (14) Sunt quaedam numeralia quae ultimum numerum eius significant: *decimus, undecimus, centesimus, millesimus*, id est qui ultimus est ex decem, ex undecim, ex centum, ex mille. Aliquando enim sic: *hoc aruum attulit centesimum, illud sexagesimum, tuum uero tricesimum fructum*, id est *centenarii numeri, sexagenarii numeri, tricenarii*. Vel *centuplum, sexagentuplum, tricentuplum*. (15) Hac etiam ratione *quadraginta* appellata est, quod quadraginta dies continet, quo uocabulo eloquentissimi Christianorum utuntur. Quidam etiam *quinquagesima, sexagesima, septuagesimae*. Atque, ut ad partitua numerali redeamus, utimur superioribus illis nominibus in plurali numero, crebrius *singuli, bini, terni*. *Trinum* igitur cum singulare numerum habeat, naturae istorum non apparet esse, quinimmo illud in plurali me non meminisse comperisse. (16) Licet et singulare perrarum sit, ut *trinum nundnum promulgari* enim debebat antiquitus rogatio apud Romanos trino nundino, ut opinor, scilicet *nundino*, quod aut tribus locis uno die, aut tribus diebus uno

in loco, celebrabatur. (17) Et ut *trinus trium annorum*, ita *trinus trium dierum* aut *locorum*. Donatus (*Gram.* 2, 2) autem hoc nomine utitur, et discipulus eius non tamen indoctor, Hieronymus, cum alibi, tum *Ad Marcellam* (*Ep.* 77, 55, 4): «Et trina negationem trina postea confessione deleuit», id est *triplici*. Ceteri quoque eodem nomine utuntur, unde ducta est *trinitas*, trium personarum una diuinitas. (18) Nam et secundum *Catholicon Compraesoriumque trinus*, -a, -um a *tres* dicitur uel a *tres*, uel *tris*, et *unus* quasi *trinus* componitur, unde *trinitas*, quasi trium personarum unitas, quia unum totum in tribus personis sit. (19) *Trinoctium*, -ii spacium trium noctium; *trinodis*, -e, trium nodorum, id est tres nodos habens, unde *trinodium*, -ii, *trinomen*, -inis, tria nomina habens, unde *trinomis*, -e et *trinomius*, -a, -um; *trinundinae*, -arum, trium dierum mercatum; *trinus*, -a, -um, cui tria competunt, dictus *trinus* quia ter unus; *triplex*, -icis, communis generis tres plicas habens, unde haec *triplicitas* et *tripliciter* aduerbium et *triplo*, -as.

[2] Augustinus uero in primo *De trinitate* libro (1, 2, 4), diuine sic inquit: «Hoc itaque uera ac pia fide tenendum est, quod trinitas sit unus et solus uerus deus, scilicet pater, filius et spiritus sanctus. Et haec trinitas unius eiusdemque substantiae uel essentiae dicitur et intelligitur, quae est summum bonum, quod pergratissimis mentibus cernitur. Mentis enim humanae acies inualida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iusticiam fidei emundetur». (2) Et infra: «Omnes autem catholici tractatores qui de trinitate, quae deus est, scripserunt, hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod pater et filius et spiritus sanctus unius sint substantiae et inseparabili aequalitate unus sint deus, ut sit unitas in essentia et pluralitas in personis. (3) Ideoque non sunt tres dii, sed unus, licet pater filium genuit, et ideo filius non sit qui pater est, filiusque a patre sit genitus, et ideo pater non sit, qui filius est. Et spiritus sanctus nec pater sit nec filius, sed tantum patris et filii spiritus utriusque coequalis et ad trinitatis pertinens unitatem». (4) Et idem Augustinus in libro *De fide* (?) ad Petrum sic ait doctissime: «Teneamus patrem et filium et spiritum sanctum unum esse naturaliter deum nec tamen ipsum patrem esse qui filius, nec filium ipsum esse qui pater, nec spiritum sanctum ipsum esse qui pater est aut filius. (5) Vna est enim patris et filii et spiritus sancti essentia, quam Graeci *ysion* uocant, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud spiritus sanctus, quamuis sit personaliter alius pater, alius filius, alius spiritus sanctus». (6) Et de his plene a sententiarum magistro habetur, libro primo, distinctione II^a, capitulo I et II^o (Petr. Lomb. *Sent.* 1, 2, 1-2 = Migne 15-16), et de trinitatis materia et de tribus personis diuinis proprietatibusque earum plenissime per ipsum magistrum a principio dictae distinctionis secundae usque ad XXXV, exclusiue tractatur, et ibi de praesentia praedestinationeque dei liberoque arbitrio docere incipit, et consequenter de scientia, omni potentia uoluntateque dei, et tandem de plerisque ad mysterium diuinae unitatis atque trinitatis cognoscendum spectantibus, usque ad XLVII distinctionis et primi libri finem plene sciteque examinat. (7) Quae qui plenissime uoluerit intelligere Thomam de Aquino in lectura sua super primo, et in prima parte *Summarum* suarum, et in primo *Contra gentiles* et Scotum et alios in primo scribentes, legant.

[3] Sed iam ad nostrum *Elegantiarum breuiarium* reuertamur (*cf.* Valla *Eleg.* 3, 5). *Trinum* autem non est de numero eorum, quorum singularem ab oratoribus non frequentari diximus, sed a poetis, et quidem improprie, etiam non nunquam pluralem improprie ab his legimus frequentari. (2) Quod aliquando ipsi quoque oratores faciunt, sed necessitate, in his nominibus quae singulari carent, ut *codicilli*, ut *liberi*, ut *pugillares*, ut *nuptiae*, ut *arma*, ut *castra*. Aut si non carent, suntque uel diuersi generis, ut *nundinum* et *nundinae*¹⁷ *delicium*, *deliciae*¹⁸, uel diuersae significationis, ut *haec aedes*, *hae aedes*, uel diuersi et

¹⁷ *Glossa*: Nundina apud Macrobius (1, 16, 32) requiri in Annus Romulus, Nundina dea in eodem sacra caelibitas. Nundinarum originem in eodem. Festus Pompeius (173) ait: «Nundinas feriarum diem esse uoluerunt antiqui, quo mercandi gratia rustici urbem conuenirent». Ex *Alfonsina*.

¹⁸ *Glossa*: Aulus Gellius (19, 8, 6) ait: «Plautus linguae latinae decus deliciam dixit pro deliciis: "Mea -inquit- uoluptas, mea delicia".» Nonius uero Marcellus (100) ait: «Deliciam numero singulari quod aut rarum est aut singulare, Plautus (*Poen.* 365): "Mea uoluptas, mea delicia". Item in *Bachidibus* (401): "Meus iustus est tua delicia".» Seruius (*Georg.* 1, 126) autem dicit: «Delicia est genus tigni, quod a culmine ad tegulas angulares infirmas uersus uestigiatum collocatur, unde tectum deliciatum et tegulae delicia res». Haec in *Alfonsina* habentur. *Catholicon* uero dicit: «*Deliciae*, -arum a *delecto*, -as, quia delectant uel dicunt *deliciae*, quia inde delectantur homines, unde *deliciosus*, -a, -um, plenus delicias et inde *deliciositas*, -atis». *Compraesorium* fere idem ait et subiicit: «*Delicior*, -aris deponens, deliciis uti, et *delicius*, -a, -um, in deliciis nutritus». Enimuero *delicium* in aliquo istorum non inueni, ut modo *Doctrinale* in 2^o (2, 369)

generis et significati, ut *epulum* et *epulae*¹⁹. (3) Necessarium est autem dicere *binos codicillos, ternos et quaternos*, non *duos, tres, quattuor*, ratione dictante. Quid enim si de diuersis codicillis dicendum mihi sit? Quomodo dicam *duos codicillos scripsit, paternum ad me, alterum ad uxorem*? Illud *unum* et illud *alterum* ad quid refertur? ad codicillum, quod non reperitur? dicendum est ergo *unos*, quod si *unos*, ergo et *binos* dicendum erat. (4) Ex Ciceronis exemplo liquebit duplices similitudines esse debent, unae rerum, alterae uerborum. Verum quia in plurali locutus est, non putauit alteri numero locum esse oportere; dicamus ergo *binos codicillos*, non *duos*, rursus *duo testamenta*, non *bina*. Et utroque modo dici potest: *relinquo filiis meis testamentum singulis*, siue *cuique*, si multi, siue *utrique* si duo fuerint; (5) *dena praedia*, uel *singulis* siue *unicuique* siue *utrique decem praedia*, cum ego et fratres mei ex bonis paternis habuerimus singuli siue unusquisque siue uterque singula praedia, uel singuli siue unusquisque siue uterque unum praedium. (6) Illud carpat ex 3^o libro *Regum* (3, 18, 13): "Quod absconderim de prophetis domini centum uiros quinquagenos et quinquagenos in speluncis". Nam hoc modo non recte dicitur, sed dicendum erat *Tulit ille centum prophetas et abscondit eos quinquagenos in speluncis*, id est singulis speluncis quinquaginta. (7) Quidam iuris studiosi accipiunt *dena* pro XX, non intelligentes significari singulis duorum decem, de quorum imperitia quid multum dicendum? cum putent recte dici *una quinque*, quasi *una* nomen sit et non aduerbium. Ne illud quidem obticebo, quemadmodum superius ostendi, nomina illa supra centum sincopari, infra uero centum minime, ita ediuerso aduerbia infra centum sincopari, ultra non sincopari, ut *uicies* pro *uigencis*, *tricies* pro *trigincis*, deinde *quadragies*, *quinquagies*, *sexagies*, *septuagies*, *octogies*, non *octuagies*, *nonagies* non *nouagies*. (8) Cetera uero non sincopantur *quinquies*, *sexcies*, *septies*, *octies*, *nouies*, *decies*, *centies*, *ducenties*, *trecenties*, *quadrigenties*, *septigenties*, *octigenties*, *nonigenties*, *milies*, deinde *bis milies*, *ter milies*, *quater milies*, *uicies milies*, et deinceps cetera».

[4] Nec praetermittendum est quod Laurentius et ego post eum, libro III, capitulo XVI, scilicet de ordine numerorum, disserimus haec modo: «Plato uno et octogesimo anno scribens est mortuus. Isocrates quarto et octogesimo anno eum librum qui *Panathenaeicus* inscribitur scripsisse dicitur, uixitque per quinquennium postea. Cuius magister Leontinus Gorgias centum et septem compleuit annos". (2) Haec Cicero (*De sen.* 13) cuius ex uerbis datur intelligi ante centum praeponi numerum minorem, post centum uero postponi. Quod Quintilianus (3, 1, 9) confirmat: "Gorgias Leontinus Empedoclis discipulus centum et nouem uixit annos". Et paulo post (3, 1, 14): "Isocrate iam seniore (octauum enim et nonagesimum compleuit annum) pomeridianis scholis Aristotelis praecipere artem oratoriam coepit". (3) Hoc tamen uidetur fieri intercedente copula, nam ea sublata, ut quisque numerus maximus est, ita primo loco praepositur duntaxat citra centum, ut *maior XXV annis*, non autem *maior V uiginti annis*. Etiam in illis, quae supra tractaui, numerabilibus *uiceni singuli*, *uiceni bini*, *uiceni terni*, aut *singuli et uiceni*, *bini et uiceni*, *terni et uiceni*. Supra centum naturalem ordinem sequimur, ut superiora exempla docent, *centum et septem compleuit annos*, *centum et muem uixit annos.*» (4) Ceterum Liuius nonnunquam et supra centum

ponat: «Delicium tibi sit, mihi semper deliciae sint», nam *delicium* de temporali dicitur, *deliciae* de caelestibus.

¹⁹ *Glossa*: *Hoc epulum*, *-li* in singulari et *epulae*, *-arum* in plurali, et sic etheroclitum genere et declinatione; et dicitur *epulum* quasi *opulum*, id est opulentia rerum; et secundum quosdam *epulum*, *-li* pro corporali et *epulae*, *-arum* pro spirituali, id est pro refectione scientiae uel uirtutis, unde Plato in *Thimaeo* (?): «Venistis ad epulas hesternas». Ab *epulum* dicitur *epulor*, *-aris*, *-atus sum*, id est epulis uti. Hinc uerbalia et *hoc epulatorium*, id est epulandi locus. Enimuero secundum *Doctrinale* in 2^o (2, 370), *epulum* est cibus priuatus seu quotidianus, *epulae* cibus solennis et pro amicorum uel propinquorum conuiuio apparatus; dicitur enim ibi: «Hoc epulum comedis epulaeque parantur amicis». Et licet Ioannes de Croco glosator ibi dicat hanc differentiam auctoritate carere, tamen Laurentius Vallensis eam libro III^o, capitulo XXIII (Garin +), approbat econtrario: «Epulum -inquit- sunt cibi ministerio hominum in nostrum usum comparati, epulum solenniores quaedam epulae et prope publicum conuiuium in propatulo numerosis ciuibus exhibitum siue in dedicationem templi alicuius siue in honorem deorum uel in magnificentiae ostentationem siue in funere alicuius magni uiri». Cui simile est quod hoc tempore fit, cum publicae pauperes pascimus, praesertim in mortibus propinquorum, quod idem est pene quod *parentare* et secundum Hieronymum 3^o libro *In Hieremiam* uulgo appellantur *parentalia* (*In Hier.* 3), eo quod parentibus iusta celebrentur dapes uolunt esse uel deorum uel nostras in sacrificiis deorum. Ioannes Raimundus Ferrarii.

minorem numerum cum copula praemisisse reperitur. Nam et *Ab urbe condita* libro II^o, capitulo XIII^o (2, 49, 4), scribit: «Sex et trecenti milites omnes patricii, omnes unius gentis, quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus Senatus». Sed in fine eiusdem capituli (2, 50, 11) sine copula numerum minorem postponit: «Fabii caesi ad unum omnes praesidiumque expugnatum. Trecentos sex perisse satis conuenit». (5) Ex quo apparet sine copula maximum quinque numerum praecedere, cum copula uero non nihil uarie; praesertim retorsum eundo. Et quae diximus intra numerum millenarium sunt, sed in ipso quoque maximum quaque numerum semper praeponemus, ut *a natali domini saluatoris anni sunt mille quadringenti triginta octo*, uel *mille et quadringenti ac triginta octo*. (6) Quorum autem cum copula fiat narratio, ut quandoque maior numerus praeponeatur, quandoque subsequatur, apud ipsum Liuium uideri potest, ubi plerumque cum hac copula et minor numerus praeponatur, ut *quinque et uiginti, unus et triginta* et huiuscemodi quam plurimioris (7) Et quandoque minor cum coniunctione subsequitur, ut apud eundem, libro XXVII, post medium (27, 29, 8): «Octoginta erant et tres naues». Et idem paulo post conscribitur (27, 36, 7): «Censa ciuium capita CXXXVII milia centum et octo minor aliquanto numerus, quam clam bellum fuerat». Idem in eodem (27. 41. 3): «Mille fere et ducentos passus castra locat ab hoste». (8) Illud tamen notandum, in milibus eandem esse naturam atque innumerabilibus citra centum, ut milites nostri sunt sex et uiginti milia, non autem *uiginti et sex milia*, uel *milites nostri sunt uiginti sex milia*, siue *militum nobis sunt uiginti milia*, siue *milites nostri sunt uicies mille*, siue *nobis singulis sunt decies mille milites*, siue *nobis singulis sunt dena milia militum*, siue *nobis singulis sunt decem milia militum*. (9) Omnia autem quae locuti sumus, ultra uicesimum numerum intelligi uolo. Nam *decem et septem, decem et octo, decem et nouem* normam illam quam dixi non tenent. Nam et Liuius libro XXVII^o, post medium (27, 29, 8), scribit: «Decem et octo nauibus captis fugatis aliis». Licet idem Liuius in ordinalibus libro XXVIII^o (29, 11, 13) dicat: «Aedem Virtutis eo anno ad positam Capenam Marcellus dedicauit septimo decimo anno postquam a patre eius primo consulatu uota in Gallia ad Clastridium fuerat». (10) His inferiora ne ipsa quidem seruant suam legem. Illa enim coniunctionem habent interpositam, haec non habent, uerumtamen nec habere possunt, cum sint composita nec plura sed singula nomina *undecim, duodecim, tredecim, quattuordecim, quindecim, sedecim*. Licet Liuius XXVIII^o libro (29, 2, 17) dicat: «Decem tria milia Hispanorum caesa eo die». (11) Nec mirum *undecim, duodecim, tredecim, quattuordecim, quindecim, sedecim*, uelut composita non plura sed singula sint nomina, nam illa quoque composita, atque unica sunt nomina *undeuiginti, duodeuiginti, undetriginta, duodetriginta, undecentum, duodecentum*. Hoc est uno aut duobus demptis de uiginti, de triginta, de centum, ut *ab incarnatione domini saluatoris sunt anni M CCCC duodequadraginta*, et per denominatiua, ut *ab incarnatione est annus millesimus quadringentesimus duodequadragesimus*.

[5] Ceterum cum de *mille* et *milia* non nulla dixerimus, multa pulchra de eis dicta, eodem libro 3^o, capitulo III^o, in meo *Elegantiarum breuiario*, repetamus: «Illud Ciceronis *mille hominum* singularis numeri esse tum exemplo eiusdem tum praecepto M. Varronis comparabo. In *Philippicis* (Cic. *Phil.* 6, 15) inuentus est: "Qui L. Antonio mille nummum ferret expensum". Et *Pro Milone* (53): "In quibus propter insanas illas abstractiones facile mille hominum uersabatur". (2) Qualia exempla plura repeterem, nisi Varronis praeceptio satis esset, qui in libris *De Analogia* (Varr. *Ling.* 9, 82) inquit: "Cum peruentum sit ad mille", assumit singulare neutrum, quod dicitur *hoc mille denarium*, a quo multitudinis sit milia denarium, et *mille hominum* dicitur, et *milia hominum* et *mille homines*, sed non *milia homines*. Cuius rei causa quod proprie dicimus *mille homines*, ut *centum homines, milia hominum*, ut *centenaria* uel *turbae hominum*, hoc substantiuum est, illud uero adiectiuum. (3) Ita non licet dicere *milia homines*, quia duo substantiua sine copula non coherent neque in his ullus certus inesset sensus. *Mille hominum* licet dicere, quia *mille* substantiuatur, ut *multum hominum* pro *multi homines*, idem erit quod *miliu hominum*, si *milia* singulare haberet, quod non habet, nisi pro *miliario*, quod est passibus mille, constat, uel pro feminis genere uel more Varronis, quia dicimus *hoc mille* uel quia, ut maxime reor, nec adiectiuum plane nec substantiuum, sicut *hic, haec, hoc, iste, ista, istud* et non nulla alia pronomina. (4) Nam cetera adiectiua non patiuntur sibi ita adherere adiectiua ut pronomina. Dicimus enim *hic robustus messor*, non *antiquus robustus messor*. At nomina numerorum sunt his pronomibus similia, ut *centum aureae paterae, mille armatae naues*. Ergo latine dicitur *mille ex hominibus*, sicut *isti ex illis*, quae locutio idem est quod *mille hominum*. (5) Ceterum nomina numeralia siue substantiua siue adiectiua sint, inter se iungi recusant, quia nec duo substantiua nec duo adiectiua sola esse possunt, ut *duo centum tria mille*, cum praesertim sint sua propria nomina, ut *ducenta, trecenta*, et supra *mille* est *milia*, quod plane substantiuum est. Ideoque dicimus *mille hominum, duo milia hominum*, non *duo mille*, sed *bis mille, ter mille*, ut *bis centum, ter centum*, non *duo centum, tria centum* aut, ut

aliqui indocti loquuntur, *ducentum, trecentum*. (6) Reperimus tamen apud ecclesiasticos hoc modo saepe dici, quale est *debebat decem milia talenta et duodecim milia signati*, quod defendi non potest, nisi resolvas sic: *signati duodecim milia, talenta decem milia*, quasi dicatur *numero XII milia et numero decem milia*, ut subintelligatur *entia, debebat talenta entia decem milia, signati entes XII milia*, nisi interponas uerbum substantiuum sic: *signati erant XII milia*, quod in altero exemplo fieri nequit, quo certe modo ipse non loquerer, sed potius *XII milia signata aut XII milia signatorum, et decem milia talentorum, et XII milia dragnatum argenti*. (7) Sed recte dicimus *decem milia et quingenti pedites*, non *peditum*, sed in *milia* subintelligimus *peditum*, et recte dicimus *decem milia peditum et quingenti*, subintelligendo in *quingenti pedites*. Rarius autem *mille* pro *milia* reperitur».

[6] Ad maiorem eorum, quae de *mille* et *milia* diximus confirmationem Asconium Pedianum (Gell. 1, 16) notandum oro sic dicentem: «Quadrigrarius III^o *Annalium* (fr. 44) ita scripsit:

"Ibi occiditur mille hominum",

mille hominum occiditur inquit, non *occiduntur*. Item Lucilius in *Satyrarum* libro (3, 24):

"Ad portam mille est psalterium»,

mille -inquit- *est, non sunt*. Varro in XVIII *Humanarum rerum* (18, 2): "At Romuli initium plus mille et centum annorum est". Cato in primo *Originum* (fr. 26): "Inde est feminae mille passuum". M. Cicero in VI *In Antonium* (*Phil.* 6, 15): "Mille nummum ferret expensum". (2) In his autem et multis aliis *mille* numero singulari dictum est. Neque hoc, ut quidam dicunt, uetustati concessum est, aut per figurarum communitatem uel opportunitatem admissum est, sed sicut est *una* et *duae res*, ita *unum mille* et *duo milia*. Quamobrem id quoque recte et prolabitur dici solitum *mille denarium in arca est, et mille equitum in exercitu est*. (3) Lucilius autem praeterquam superius posui, alio quoque in loco id manifestius demonstrat. Nam in libro XV (15, 506) ita dicit:

"Hunc mille passuum qui uicerit atque duobus Campanus
sonipes succussor nullus sequitur maiore in spacio
ac diuersis uidebitur".

(4) Item alio in libro VIII^o (9, 327):

"Mille quidem nummum potes uno quarere centum".

Mille passuum dixit pro *mille passibus* et *uno mille nummum* pro *unis mille nummis*, aperteque ostendit *mille* et uocabulum esse et singulari numero dici usque pluraliuum esse *milia* et casum accipere ablatiuum neque ceteros casus requiri oportet, cum sint alia pleraque uocabula quae in singulos tantum casus, quaedam esse quae in nullum inclinentur. (5) Quapropter iam nihil dubium est quin M. Cicero in oratione quam scripsit *Pro Milone* (53), ita scriptum reliquerit: "Ante fundum Clodii quo in fundo propter insanas illas subtractiones facile mille hominum uersabatur ualentium", non *uersabantur*. Quod in libris minus accurate scriptum est, alia enim ratione *mille hominum* dicendum est».

[7] Varro (= Fest. 148?) uero dicit: «Miliu semen quoddam est».

[8] Macrobius *De Saturnalibus* (6, 6, 4) dicit: «Mille Virgilius illa iam celerans per mille coloribus arcum (*Ger. Aen.* 5, 609) », id est *per arcum mille colorum*.

[9] *Catholicon* autem dicit: «*Mille* a *multus* dicitur omnis generis et plurali numeri et indeclinabile, unde pluraliter *haec milia, horum milium*. Et componitur *duomilia, triamilia, quattuormilia* et sic de ceteris. Et a *mille, millies* aduerbium numeri. Et differt *mille* a *milia* quia *mille* copulat unum millenarium, *milia* uero plures millenarios indeterminate, unde recipit haec adiectiua *duo milia, tria milia*. (2) Et potest esse oratio, et tunc sic construitur: *duo milia hominum currunt*. Et potest esse una dictio, et tunc construitur sic: *duo milia homines currunt*. Et licet sit tantum neutri generis, iungitur immediate et intransitiue cum masculino genere et feminino et neutro ut *duo milia homines, duo milia mulieres, duo milia animalia*». (3) Et hoc ideo quod, ut ait Aulus Gellius (1, 16): «Antiquitus *mille* erat singularis numeri et *milia* suum plurale et sic construebatur: *mille hominum interficitur*, quasi millenarius hominum sed modo mille factum, est omnis generis et pluralis numeri unde *milie* contrahitur ab illo quia fuit suum singulare ut composita a se construantur intransitiue cum quolibet genere sicut *mille*. Et scribitur *mille* per duplex *-l* sed *milia, miles* et *militia* per unum *-l* scribi debent».

[10] Ioannes in suo *Compraensorio* haec eadem fere narrat.

[11] Nicolaus Perottus in capitulo de relatiuis, § *Quantitatem discretam absolutam*, uersiculo *Mille* (fol. k2u.), sic ait: «*Mille, haec duo milia, horum duorum milium, his duobus milibus, haec milia, o milia, a milibus, tria milia, quattuor milia*, ut quidam putant, sed *haec milia* quia est nomen substantiuum, nec dicere debemus *duo milia homines*, sed *duo milia hominum*. (2) Nam quod in sacris litteris legimus *duodecim milia*

signati, si non est error, hoc modo exponi debet: *signati numero duodecim milia*, hoc est qui erant numero XII milia. Quidam ideo inciderunt in hunc errorem, quia legimus *duo milia pondo argenti*, sed pondo genitiui casus est, hoc loco, non nominatiui. (3) *Mille* autem interdum adiectiuum est, et ideo dicere possumus *mille homines*, interdum substantiuum, et sic dicimus *mille hominum*, ut *mille minium*. Nec possum dicere *duo milia*, *tria milia* uel *bis mille*, *ter mille*, ut *bis centum*, *ter centum*, Ouidius (*Met.* 12, 188-89):

"Annos uixi bis centum, iam tertia uiuitur aetas".»

(4) De nominibus autem numeralibus cardinalibus hic ante declarat, consequenter uero de aduerbiis inde profectis, posthac de ordinalibus, ut primus, secundus, tertius, et cetera, subinde de particulis numerumque annorum pondusque significantibus.

[12] Ego autem dico *mille* secundum Varronem neutrum singulare esse, et hoc *mille hominum* uel *nummorum* recte dici ut Cicero, Lucilius et alii summi uiri sic loqui saepe sunt soliti. Nec id antiquitati uel figurate locutione super Asconium Pedianum debet attribui sed sicut est *una res* et *duae*, ita *unum mille* et *duo milia*, item *mille* in singulari tum modo ablatiuum casum recipit et *milia* pro plurali habet. (2) Inuenitur etiam *mille* omnis generis numerique pluralis et personis casus indeclinabile, praesertim apud recentiores auctores, *milia* uero est neutri generis et numeri pluralis tantum et per tertiam declinatur pluraliter: nominatiuo *haec milia*, genitiuo *horum milium*, datiuo *his milibus* et cetera. Cum autem est plurale huius nominis *mille* sic facienda est declinatio: nominatiuo *hoc mille*, acusatiuo *hoc mille*, uocatiuo *o mille*, ablatiuo *ab hoc mille* et pluraliter nominatiuo *haec milia*, genitiuo *horum milium* et cetera. (3) *Milia* uero secundum *Catholicon* et *Compraensorium* cum numeralibus componi potest, ut *duomilia*, *triomilia*, *quattuormilia*, *quinquemilia* et inde de aliis, et tunc cum sit una dicere licet neutri generis sit dumtaxat, tamen intransitiue cum genere masculino, feminino et neutro potest coniungi, ut *duomilia homines*, *duomilia mulieres*, *duomilia mancipia*, cum enim *mille* cum quolibet genere et intransitiue construatur, cuius *milia* plurale esse potest, mirum esse non debet si *milia* in compositione eam naturam seruauerit. (4) Quod si *duo milia*, *tria milia* et cetera sit non compositio sed oratio, *milia* instar, *mille* cum genitiuo construatur et *duo milia hominum*, *duo milia mulierum*, *duo milia mancipiorum* dicetur et potius hoc modo quam illo; id est, magis per orationem quam compositionem auctores locutos fuisse inuenio. (5) Scripturam uero sacram *decem milia talenta* per compositiones uel per subintellectiones *existentia numero* uel per interpositiones uerbi *erant* excuso, puta *talenta existentia numero X* uel *talenta erant X*, nisi uerbum accusatiuum praecederet, ut debebat *decem milia talenta*; illam uero *duodecim milia signati aere* idem excusare possem, ut *duodecim milia signati*, scilicet *homines*, per compositionem uel si sit ibi *duodecim milia* oratio, supple *existente numero*, scilicet *signati homines duodecim milia*, uel interpone *erant* ut *signati erant duodecim milia*. (6) Latine tamen dicitur *duo milia quingenti pedites*, non *peditum*, quod in *milia* debet subintelligi, et dicitur quaque *duo milia hominum et ducenti*, sed hic *homines* subintelligo et ita apud T. Liuium saepe numero reperi.

XII. Reditus ad Salustium.

[1] Postquam textum Salustii *eum binosque imperatores sibi facere* et quae ad numeralia spectabant satis accurate diseruimus, ad principale propositum super ipsius Salustii exemplis quo ad demonstrationem relationemque pronominum reuertamur, qui post antedicta intentum suum per Athenienses Romanosque confirmans sic eleganter ait (*Sall. Cat.* 8, 1-ss.): (2) «Atheniensium res gestae, sicut ego aestimo, satis amplae magnificaeque fuere, uerum aliquanto minores quam fama feruntur. Sed quia ibi prouenere scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum qui ea fecerunt uirtus tanta habetur, quantum eam uerbis praeclara ingenia extollere potuere. (3) At populo Romano nunquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque facere quam dicere et sua ab aliis benefacta laudari quam ipse aliorum narrare malebat. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxima, auaricia minima inter ipsos erat. Iusque bonum apud eos non legibus magis quam natura ualebat. (4) Et infra (11, 1-7): «Sed primo magis ambitio quam auaricia animos hominum exercebat, quod tamen uicium propius uirtuti erat, nam gloriam, honorem, imperium, bonus et ignauus aequae sibi exoptant. Sed ille uera uia nititur, hic (quia bonae artes desunt) dolis atque fallaciis contendit. Auaricia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupiuit: ea quasi uenenis malis imbuta corpus animumque uirilem effeminat, semper infinita et insatiabile est neque copia neque inopia minuitur». (5) Et infra: «Igitur hi milites postquam uictoriam adepti sunt nihil reliqui uictis fecere. Quippe secundae res sapientum animos fatigant ne illi corruptis moribus uictoriae temperarent.

Postquam diuiciae honori esse coepere et eas gloria imperium potentia sequebatur, hebescere uirtus, paupertas probro haberi, ignocentia pro maliuolentia duci coepit.» (6) Et infra (12, 3ss.): «Operae precium est, cum domos atque uillas cognoueris in modum urbium aedificatas, uisere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissimi mortales, fecere. Verum illi delubria deum pietate, domos suas gloria decorabant, neque uictis quiquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At hi contra, ignauissimi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere quae fortissimi uiri uictores reliquerant: proinde quasi iniurias facere, id demum esset imperio uti. (7) Nam quid ea memorem, quae nisi his qui uidere nemini credibilia sunt, a priuatis compluribus subuersos montes, maria constrata esse? quibus mihi uidetur ludibrio fuisse diuiciae: quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem poperabant. (8) In tanta itaque et tam corrupta ciuitate Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagiciorum tamquam stipatorum cateruas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo alea manu uentre pene bona patria lacerauerat, quique alienum aes grande conflauerat, quo flagicium aut facinus redimeret, praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, conuicti, iudiciis aut pro factis iudicium timentes. (9) Ad hoc quos manus atque lingua periurio sanguine ciuili alebat, postremo omnes quos flagicium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinae proximi familiaresque erant. Quod si quis et a culpa uacuus in amicitiam eius inciderat, quottidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur.

»[2] Sed maxime adolescentium familiaritates appetebat: eorum animi molles et aetate fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. (2) Scio fuisse nonnullos, qui ita aestimarent iuuentutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse. Sed ex aliis rebus magis quam cuiquam id compertum foret, haec fama ualebat. Iam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum nobili uirgine, cum sacerdote Vestae, aliaque huiusmodi contra ius fasque. (3) Postremo captus amore Aureliae, cuius praeter formam nemo unquam bonus laudauit, quod ea illi nubere dubitabat timens priuignum adulta aetate, creditur necato filio uacuum domum scelestis nuptiis fecisse. (4) Quae quidem res in primis mihi uidetur fuisse causa facinoris maturandi. Nanque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque uigiliis neque quietibus sedari poterat. Itaque conscientia mentem excitam uastabant. Igitur color eius exanguis, foedi oculi, modo citus, modo tardus incessus erat: prorsus in facie uultuque uecordia inerat. (5) Sed iuuentutem, quam, ut supra diximus, multis modis illexerat mala facinorosa edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos accommodare; fidem, fortunas, pericula uilia habere; post ubi eorum famam atque pudorem attriuerat, maiora alia imperabat.» (6) Et infra (16, 4ss.): «His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod alienum aes per omnes terras ad persoluendum ingens erat, et quod plerique Syllani milites suo largius usi, rapinarum et ueteris uictoriae memores, ciuile bellum exoptabant, opprimendae rei publicae consilium cepit.» (7) Et infra: «Ipsi consulatum petendi magna spes erat.» Et infra: «Sed ea prorsus opportuna Catilinae uidebantur. Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos appellare, hortari alios, alios tentare, opes suas, imparatam rem publicam, magna praemia coniurationis edocere. Vbi satis explorata sunt quae uoluit, in unum omnes conuocat, quibus maxima necessitudo et plurimum audaciae inerat. Eo conuenere senatorii ordinis P. Lentulus, Surra, P. Antonius.» (8) Et infra (17, 5): «Praeterea erant complures paulo occultius consilii huiusmodi participes nobiles, quos magis spes dominationis hortabatur quam inopia aut alia necessitudo. Ceterum pleraque iuuentus, sed maxime nobilium, Catilinae inceptis fauebat: quibus in ocio magnifice uel molliter uiuere copia erat. Incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. (9) Fuerunt item ea tempestate qui dicerent M. Lucinum Crassum non ignarum eius consilii fuisse. Quia Cn. Pompeius, inuisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cuiusuis opes uoluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si coniuratio ualuisset, facile apud eum se principem fore. Sed antea item coniurauere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit, de qua quamueris me potero dicam.» (10) Et infra (18, 4): «Erat eodem tempore Cn. Piso adolescens, nobilis summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum Catilina et Antonius circiter Nonas Decembris, communicato consilio, parabant in Capitolio Kalendis Ianuarii L. Cottam et L. Torquatam consules interficere, ipsi facibus correptis Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere parabant. (11) Ea re cogita, rursus in Nonas februarias consilium caedis transtulerant. Iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die

post conditam urbem Romam tam pessimum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati conuenerant, ea res consilium diremit. Postea Piso in Citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est» (12) Et infra: «Sed is Piso». Et infra (19, 3-ss.): «Catilina ubi eos, quos paulo ante memorauit, conuenisse uidet, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens uniuesos appellare et cohortari, in abditam partem aedium secessit atque ibi omnibus arbitris procul amotis orationem huiusmodi habuit:

»[3] "Ni uirtus (Sall. *Cat* 20, 1-ss.) fidesque uestra satis spectata mihi foret, nequicquam res opportuna in animo cecidisset; spes magna dominationis in manibus frustra fuisset, neque ego per ignauiam aut uana ingenia incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus cognoui uos fortes fidosque mihi, eo animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere. Simul quia uobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi. (2) Namque idem uelle atque idem nolle, ea demum summa amicitia est. Sed ego, quae mente agitauit, iam omnes antea diuersi audistis. Ceterum mihi in dies animus accenditur magis magisque, cum considero, quae condicio uitae futura sit, nisi nosmet ipsos uindicemus in libertatem. (3) Nam postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetarchae²⁰, uectigales esse, populique, nationes, stipendia pendere. Ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, uulgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si res publica ualeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, diuiciae apud illos sunt aut ubi illi uolunt; nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. (4) Quae quousque tandem patiemini, fortissimi uiri? Nonne praestat emori per uirtutem quam hanc miseram uitam atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueritis, per dedecus amittere? Verumenimvero, deum atque fidem hominum obtestor. Victoria in manu nobis est, uiget aetas, animus ualet; contra illis annis atque diuiciis omnia consenuerunt. Tantummodo incepto opus est. Cetera res expediet. (5) Etenim quis mortalium, cui uirile ingenium est, tolerare potest illis diuicias superare, quas profundunt in extruendo mari et montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? Illos binas domos aut amplius continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? (6) Cum illi tabulas pictas, signa, toreumata²¹ emunt, uetera diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, uexant, cum summa libidine diuicias suas uincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris aes alienum. Mala res, spes multo asperior. Denique quid relicui habemus praeter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? et capessite rem publicam, in illa, quam sepe optastis, libertas". (7) Et infra (21, 4): «Ad hoc maledictis increpabat omnes bonos, suorum unumquemque deliberans, nominans laudare: admonebat alium egestatis, alium suae cupiditatis, complures periculi atque ignominiae, multos Syllanae uictoriae, quibus ea praedae fuerant» (8) Et infra (23, 5): «Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni». Et infra (24, 3): «Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines ascuissse dicitur sibi». (9) Et infra (25, 1): «Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe facinora uirilium audaciae commiserat. Haec mulier genere atque forma». Et infra (25, 3): «Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuere». Et infra (31, 2-ss.):

[4] «Suo quisque metu pericula metiri. Ad haec mulieres, quibus rei publicae pro magnitudine belli timor insolitus inceserat, afflictae sese, manus supplices ad caelum tendere, miserari paruos liberos, rogare deos, omnia pauere, superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere. (2) At Catilinae crudelis animus eadem illa mouebat, tametsi praesidia parabantur et ipse lege Plancia interrogatus a Lucio Paulo. Postremo dissimulandi causa aut sui expurgandi, sicut iurgio lacessitus foret, in senatum uenit. Tum M. Tullius consul, siue praesentiam eius timens siue ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit. (3) Sed ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso uultu, supplice uoce a patribus postulare coepit, ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita se dicebat ab adolescentia uitam instituisse,

²⁰ *Glossa*: Tetarchae a *tetras*, quod est *quattuor*, et *archos*, quod est *princeps*. Dicitur *tetarcha* quasi princeps supra quattuor uel super quartam partem regni tenentes, qualis fuit apud Iudaeam Philippus. Et inde *haec tetarchia* est, id est eius potestas, et *tetarcho*, *-as*, *-are* id est principari. Vnde Oratius in *Epistulis* (1, 17, 12): «Tetarchare uolens accedet succus ad unctum». *Catholicon*.

²¹ *Glossa*: *Toreuma*, *-matis*, genere neutro, est tornatura uel uas tornatum, et quicquid celatur uel tornatur, siue uas, siue lectus, siue aliud. Et dicitur a *torno*, *-as* Et est *toreuma* trium syllabarum et corripit primam. Vnde Prudentius (*Psychomacia* 356): «Fulcra mero ueterique toreumata rore rigantur». *Catholicon*.

ut omnia bona in spe haberet; ne aestimarent sibi, patricio homini, cuius ipsius atque suorum maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, prodita rei publicae opus esse, ut eam seruaret M. Tullius, inquilinus ciuis urbis Romae.

»[5] Ad haec (Sall. *Cat.* 32, 2-ss.) maledicta alia cum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam uocare. Tum ille furibundus inquit: "Quoniam quidem ab inimicis circumuentus praeceps agor, incendium meum uestra ruina extinguiam". Deinde se ex curia domum proripuit. Ibi cum secum multa uoluens». (2) Et infra: «Sese propediem cum magno exercitu ad urbem adcessurum. Dum ea Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Martium Regem mittit, cum mandatis huiusmodi». (3) Et infra (37, 1-ss.): «Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxime miserabile uisum est. Cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent. Domi ocium atque diuiciae, quae prima mortales putant, affluerent. Fuere tamen ciues, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent». (4) Et infra (37, 1-ss.): «Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes nouarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo facere uidebatur. Nam semper in ciuitate, quibus opes nullae sunt, bonis inuident, malos extollunt, uetera odere, noua exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. (5) Sed urbana plebs, ea uero praeceps erat multis de causis. Primum omnium quod ubique probro atque petulantia maxime praestabant. Item alii qui per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes quos flagitium aut facinus domo expulerat. Hi Romam sicut aqua in sentinam confluerant. Deinde multi memores Syllanae uictoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores uidebant, alios ita diuites, ut regio uictu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque (si in armis foret), ex uictoria talia sperabat. (6) Praeterea iuuentus, quae in agris manuum mercede inopiam tolerauerat, priuatis ac publicis largitionibus excitata urbanum ocium ingrato labori praetulerat. Eos atque alios omnes malum publicum alebat. Quo minus mirandum est homines egestes, malis moribus, maxima spe rei publicae iuxta ac sibi consuluisse». (7) Et infra (38, 3-ss.): «Namque, uti paucis uerum absoluam, post illa tempora quicumque rem publicam agitare, honestis nominibus, alii sicuti populi iura defenderent, pars quo Senatus auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia certabant. Neque modus neque modestia contentionis erat: utriusque uictoriam crudeliter exercebant. (8) Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maucinum atque Mitridaticum missus est, plebis opes imminutae, paucorum potentia creuit. Hi magistratus prouincias aliaque omnia tenere ipsi innoxii florentes sine metu aetatem agere. Ceterosque iudiciis terrere, quo plebem placidius in magistratu tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus nouandis spes oblata est, uetus certamen animos eorum arxit». (9) Et infra (39, 5-ss.): «In his erat Fuluius, senatoris filius, quem retractum ex itinere, ut aiebant, parens necari iussit. Iisdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quocumque moribus aut fortuna nouis rebus idoneos esse credebat aut per se aut per alios sollicitabat. Neque solum ciues sed cuiuscumque modi genus hominum, quod modo bello usui foret. (10) Igitur cuidam P. Vmbreno negocium dat, ut legatos Allobrogum requirat, eosque, si posset, ad societatem belli impellat aestimans priuatim publiceque aere alieno oppressos. Praeterea quod natura gens Gallica bellicosa erat, facile eos ad tale consilium adduci posse credebat. Vmbrenus, qui in Gallia negociatus erat plerisque principibus ciuitatum notus erat atque nouerat ipsos». (11) Et infra (40, 3-ss.): «Postquam illos uidet quaeri de auaricia magistratum, accusare Senatum, quod in eo nihil auxilii esset, miseris suis remedium mortem expectare. "At ego inquam, si modo uiri uultis esse, ratione ostendam, qua tanta mala ista effugiatis. Haec ubi dixit, Allobroges in maximam spem adducti Vmbrenum orare coeperunt, ut sui miseret, nihil tam asperum nec tam difficile esse dicebant, quod non cupidissime facturi essent, dum eos aere alieno liberaueret. Ille eos in domum Decii Bruti perducit». (12) Et infra (40, 6): «Iisdem fere temporibus». Et infra (42, 1): «Deinde eos pollicitos operam suam domum ducit». Et infra (45, 3): «Nanque illi quos Catilina ante dimiserat inconsulte ac ueluti per dementia cuncta simul agebant». Et infra: «Postquam ad id loci legati cum Vulturcio uenere, simul utrinque clamor exortus est». (13) Et infra (46, 2): «Porro autem anxius erat dubitans in maximo scelere tantis ciuibus deprehensis, quid facto opus esset, poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdendae rei publicae causam fore credebat. Igitur, confirmato animo, uocari ad sese iubet Lentulum», et cetera. «Ipsam Crassum (48, 9) ego postea praedicantem audiui tantam illam contumeliam sibi a Cicerone impositam».

[6] Et infra (52, 2), in Catonis orationis principio: «Longe mihi aliena mens est, patres conscripti, cum uos atque pericula uestra considero, et cum sententias nonnullorum ipse mecum

reputo. Illi mihi disseruisse uidentur de poena eorum, qui patriae parentibus aris atque focus suis bellum parauere. Res autem monet cauere ab illis magis quam quod in illos statuas, consultare.» (2) Et infra (52, 5): «Sed per deos immortales uos ego appello, qui semper domos, uillas, signa, tabulas uestras, pluris praecii quam rem publicam fecistis. Si ista cuiuscunque modi sint, quae et amplexamini, retinere uultis, si uoluptatibus nostris ocium praebere uultis, exposcimini aliquando. et capessite rem publicam. Non hic agitur de uectigalibus neque de sociorum iniuriis, libertas atque anima uestra in dubio est.» (3) Et infra (52, 19-ss.): «Nolite existimare maiores nostros armis rem publicam ex parua magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrima eam haberemus, quippe sociorum et ciuium praeterea armorum atque equorum maior copia nobis quam illis fuit. Sed alia fuere quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria erat, foris iustum imperium, animus in consulendo liber neque delicto neque libidine obnoxius erat. (4) Pro his nos habemus luxuriam atque auariciam, publice egestatem, priuatim opulentiam laudamus, diuicias sequimur, inertiam, inter bonos et malos nullum discrimen est, omnia uirtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum, ubi uos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi uoluptatibus, hi pecuniae aut gratiae seruitis, eo fit ut impetus fiat in uacuum rem publicam.» (5) Et infra (52, 27): «Sed ego uereor ne ista uobis mansuetudo atque misericordia, si illi arma ceperint, in miseria conuertantur. Scilicet res ipsam aspera est, sed uos non timetis eam». Et infra (52, 30): «Apud maiores nostros Aulus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum quod is contra imperium in hostem pugauerat, necari iussit. At ille egregius adolescens immoderate fortitudinis morte poenas dedit, uos crudelissimis parricidis, quid statuatis cunctamini? Videlicet cetera uita eorum huic sceleri obstat?». (6) Et infra (52, 36): «Quare ego ita censeo, cum nefario consilio sceleratorum ciuium res publica in maxima pericula euenierit, hique iudicio Titi et legatorum Allobrogum conuicti confessique sint caedem, incendia, alia foeda atque crudelia facinora in ciues patriamque parauisse, de confessis sicuti de manifestis, capitalium more maiorum supplicium sumendum esse». (7) Et infra (54, 1): «Igitur his genus, aetas, eloquentia propter aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii, C. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habetur, integritate uitae Cato. Ille mansuetudine atque misericordia clarus factus est; huic seueritas dignitate addiderat. Caesar dando, subleuando, ignoscendo; Cato nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris profugium erat, in altero malis perniciēs. Illius facilitas, huius constantia laudabatur.» (8) Et infra (54, 6): «Esse quam uideri bonus malebat. Ita quo minus gloriam petebat eo magis illam assequabatur.» (9) Et infra (55, 4): «Terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, iudices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius ex gente clarissima Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitum uitae inuenit. De Cetego, Statilio, C. Caepario eodem modo supplicium sumptum est». (10) Et infra (56, 4): «Sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta potuissent. Interea seruicia repudiabat, cuius in inicio magnae copiae concurrebant».

XIII. Cuius.

[1] Cum autem hic Salustius per *alleotheta*²² diuersos numeros construxerit et *cuius* singulare non ad *seruicia* sed ad rem seruiciorum retulerit, et ideo Priscianus primo minoris (17, 155) hunc textum exposuerit: «*Cuius*, id est rei seruiciorum», et haec *alleotheta* quotidie inuenitur non nulla a Prisciano minoris super re ipsa docte scripta tanquam utilia saepeque inuenta, commemoranda reor. (2) Priscianus igitur primo minoris, § *Illud tamen*, de *alleotheta* siue constructione figuratiua, scite sic inquit:

²² *Glossa*. Licet multis in locis *alleotheta* cum *-e* ante *-o-* scriptum inuenieris, quod est secundum *Doctrinale* dicentem in XII^o (12, 2.404): «Confundit casus, numeros, genus *alleotheta*», nam aliter dactilus in quinto pede formari non potest, tamen reuera sine *-e* ante *-o-* et per quattuor syllabas solum, scilicet *allotheta* dici debet, et *Doctrinale* metrum excusetur, quod, scilicet sit spondaicum, ut spondeus pro dactilo collocetur. *Catholicon* enim in V^a parte dicit: «*Allotheta*, *-tae*, dicitur ab *allon* et *thesis*, positio, id est diuersa positio accentus uel accentuum, cum casus uel persona ponitur pro casu uel persona uel cum diuersi casus uel personae constructio intransitiue, secundum Hugutionem». *Graecismus* dicit: «*Allotheta* genus, numeros nescit neque casus». Hoc Tortellus confirmat inquit: «*Allotheta* cum duplici *-l-* et in penultima cum *-th-* aspirato, in ultima uero cum *-t-* simpliciter. Dicitur potest latine *aliter posita*, nam componitur ex *allos* quod est *alter* et *theta posita*».

«Illud tamen sciendum, quod per figuram quam Graeci *alleothesam* uocant, id est *uariationem*, et per *prolepsim*, id est *praesumptionem*, et per *syllepsim*, id est *conceptionem*, et per *zeugma*, id est *adiunctionem*, et per *concordantiam*, quam Graeci *synthesim*; (3) et numeri diuersi et diuersa genera et diuersi casus et tempora et personae, non solum transituue et per reciprocaionem, sed etiam intransituue copulantur, quod diuersorum auctorum exemplis tam nostrorum quam Graecorum necessarium esse duximus comprobare.

»[2] Construuntur ergo diuersi numeri, ut Virgilius primo *Aeneidos* (1, 212):

"Pars in frustra secant, ueribusque trementia figunt",

ad sensum enim (quia pars Troianorum plures in hoc loco intelliguntur) plurale uerbum reddidit, quomodo Homerus:

"Ayloy..." (= φασσων),

et cetera. (2) Salustius in *Catilinario* (56, 5): "Seruicia repudiabat, cuius inicio magnae ad eum copiae concurrebant", *cuius* enim singulare ad rem retulit, id est rei seruiciorum. Terentius in *Eunucho* (1-3):

"Si quisquam est qui studeat placere bonis
quamplurimis et minime multos laedere,
in his poeta hic nomen profitetur suum",

quisquam enim ad multos intelligitur, quomodo idem poeta in *Adelphis* (634):

"Aperite aliquis actutum".

»[3] Diuersa genera similiter construuntur. Virgilius in *Bucolicis* (3, 82):

"Dulce satis humor depulsus arbutus aedis
lenta falix feto pecori mihi solus Amintas",

ad *dulce* enim, quod est neutrum, tam masculinum quam femininum redditur». (2) Et infra (Prisc. 17, 158): «Lucanus in primo (1, 176):

"Per uim sunt leges et plebiscita coactae";

Virgilius in VIII (*Aen.* 8, 561):

"Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
strauit",

cum enim nomen oppidi proprium sit *Praeneste*, ad intellectum urbis reddidit *sub ipsa*. Quomodo Terentius in prologo *Eunuchi* (32):

"In eunucham suam"

dixit ad comediam referens pronomen.» (3) Et infra (Prisc. 17, 159): «Vide quomodo et diuersa genera et diuersos numeros in supradicta figura *alleothesae*, id est *uariationis*, confundit, Graecorum quoque auctores frequenter utuntur huiusmodi figurationibus, Homerus». Et infra (Prisc. 17, 160):

[4] «Diuersi quoque casus pro casibus tam a nostris quam a Graecis figurate saepissime ponuntur. Virgilius I^o *Aeneidos* (1, 78):

"Tu mihi quodcunque hoc regni, tu scepra Iouemque
concilias",

hoc regni per *hoc regnum*. Idem in eodem (Verg. *Aen.* 1, 573):

"Urbem, quam statuo, uestra est, subducite naues",

pro *urbs*, *quam statuo, uestra est*; (2) Terentius in *Andria* (744-45):

"O dii immortales, quid turbae est apud forum?
quid illic hominum litigat?",

pro *quot homines*. Idem in eadem (Ter. *And.* 1, 1, 43):

"Ex Andro commigrauit huic uicinae",

pro *in hanc uicinam*,

"Quas credis esse, has non sunt uerae nuptiae" (*And.* 1, 1, 20).

(3) Idem in *Phormione* (154):

"Cum eius aduenti mihi uenit in mentem",

aduenti genitiuum posuit pro nominatiuo, *aduenti* pro *aduentus*. Cicero in *Verrinis* (1,1, 51): "Nam mihi ita deos uelim propicios ut cum mihi illius temporis ueniat in mentem, non solum animo sed et toto corpore perhorresco", *illius temporis* pro *illud tempus*. Idem in 2^o *Verrinarum* (1, 17, 51): "Fac tibi Anciliae legis ueniat in mentem", pro *Ancilia lex*. (4) Virgilius III^o *Georgicorum* (3, 53):

"Et crurum tenus a mento palearia pendent",

pro *cruribus tenus* Virgilius in IX (*Aen.* 9, 418):

"Volat hasta tago per tempus utrunque",
 pro *in tagum*. Salustius in *Catilinario* (36, 2): "Praeter rerum capitalium condemantis", pro *condemnatos*. (5)
 Et infra (Prisc. 17, 161): «Terentius in *Andria* (614):
 "Quid mei faciam?",
 pro *quid de me?* Idem in *Eunucho* (837):
 "Quid illo faciemus stulta?",
 pro *illi*. Virgilius primo *Aeneidos* (1, 257-58):
 "Parce metu Citharea, manent immota tuorum
 facta tibi",
 (6) pro *metui*. Virgilius I *Georgicorum* (1, 208):
 "Libra die somnique pares ubi fecerit horas",
 pro *diei*. Nostri hac figura saepe sunt usi, ut Terentius in *Eunucho* (486):
 "Apparet hunc seruum esse domini pauperis
 miserique",
 pro *hic seruus apparet*, et in aliis tamen plerisque inuenies Graecorum auctoritatem, et maxime Atticorum
 imitatos esse latinitatis auctores.
 »[5] Diuersa tempora. Virgilius 3^o *Aeneidos* (3, 1-ss.):
 "Postquam res Asiae Priamique euertere gentem
 immeritam uisum superis, ceciditque superbum
 Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,
 diuersa exilia et diuersas quaerere terras
 auguriis agimur diuum, classemque sub ipsa
 Atandro et Frigiae molimur montibus Idae.",
 (2) *cecidit* praeteriti temporis est, *fumat* autem et *agimur* et *molimur* praesentis. Idem in III^o (Verg. *Aen.* 4,
 1-2):
 "At regina graui iamdudum saucia cura
 uulnus alit uenis et caeco carpitur igni",
 pro *alebatur* et *carpebatur*. (3) Et sciendum quod tam poetae quam prosarum scriptores frequenter
 praesentibus utuntur tam pro praeteritis quam pro futuris. Contra autem raro, ut Terentius in *Andria*
 (504):
 "Siquid narrare ocepi, continuo tibi dari
 uerba censes",
accepi pro *occipio* uel *occipiam*. Idem in *Eunucho* (103):
 "Quae uera audiui, taceo et contineo, optime",
 (4) *audiui* pro *audio* uel *audiam*. Idem in *Phormione* (620):
 "Cur non inquam, Phormio, uides inter nos",
inquam pro *inquit* dixit, quod est in raro usu, sic etiam solent ponere plerunque *inquam*, quod est futuri,
 loco praeteriti uel praesentis accipientes.
 »[6] Diuersae personae iunguntur. Virgilius in II^o (*Aen.* 2, 434-35):
 "Diuellimur inde
 Yphilus et Pelias mecum".
 Terentius in *Andria* (310):
 "Tu si hic esses, aliter sentias".
 Et nota quod *sese* ostendens hic dixit, in qua demonstratione intelligitur etiam *ego*. (2) Et infra:
 «Virgilius (ps. Verg. *Prol. Aen.* 1, 1):
 "Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena".
 Idem in I^o (*Aen.* 2, 5-6):
 "Quaeque ipsa miserrima uidi
 et quorum pars magna fui".
 (3) Idem in *Bucolicis* (9, 16):
 "Nec tuus hic meris nec uiueret ipse Menalchis".
 Terentius in *Phormione* (587)
 "Nam ego meorum sum meus".
 Persius (5, 88):

"Postquam meus a praetore recessi".

»[7] Non solum per genera et personas et casus et numeros et tempora, quae maxime declinabilibus accidunt, de quibus supra ostendimus, solent auctores uariare per figuras, sed etiam per omnia unicuique partium orationis accidentia. Vt puta nomini accidunt species, genus, numerus, figura, casus, per hos igitur quinque modos inueniuntur uariationibus alleotheses usi auctores.

»[8] Per species, ut (Enn. *Ann.* 8, 61, fr. 33):

"Optima caelicolum Saturnia magna deorum",

magna dixit pro *maxima*, posituum pro superlatiuo, cum apertissime superius *optima caelicolum* dixisset Virgilius in primo *Aeneidos* (1, 228):

"Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentes",

tristior pro *tristis*. Homerus *Dardanus*, pro *Dardanius*. (2) Vnde Virgilius quoque in III^o *Aeneidos* (4, 661-62):

"Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto

Dardanus",

pro *Dardanius*, primitiuum pro deriuatiuum. Idem in 2^o *Aeneidos* (2, 618):

"Ipse deos in Dardana suscitata arma",

pro *Dardania*. Simile huic est *Romulus populus et Romula gens* pro *Romuleus populus et Romulea gens*.

»[9] De generum et casuum et numerorum uariationibus in supradictis ostendimus.

»[10] Figurae quoque aliae pro aliis poni solent. Virgilius in primo (*Aen.* 1, 84-85):

"Totumque a sedibus imis

una Eurus Notusque ruunt",

pro *eruunt*, simplex pro composito. Similes inuenies uariationes constructionis per omnia ceteris quoque dictionibus accidentia.

»[11] Aliae quoque pro aliis dictionibus uel partibus ponuntur, ut nomen pro aduerbio, ut *sublime uolat*, et *sole recens*. Econtra aduerbium pro nomine (Verg. *Aen.* 1, 6)

"Vnde genus Latinum",

pro *ex qua*. Et Cicero *Pro Deiotaro* (6, 27): "En crimen, en causa, cur regem fugitiuus dominum seruus accuset", *cur*, *propter quid*. Et *iuste* et *uere* pro *iusto* et *uero*. (2) Et *satis* pro *sufficiens*. Lucanus in primo (1, 66):

"Tu satis ad dandas Romana in carmina uires".

Idem in III^o (Luc. 7, 312):

"Quique necesse putat",

pro *necessarium*. Homerus in *Loyayn* dixit, quod *satis* est pro *multum*. Virgilius in I^o *Aeneidos* (1, 3-4):

"Multum ille et terris iactatus et alto

ui superum",

nomen pro aduerbio posuit.

»[12] Praepositiones est quando abundant, est quando deficiunt, est quando aliae pro aliis ponuntur, tam apud nos quam apud Graecos. Abundant, ut in Socrates *Egenetico*, et cetera. Nostri quoque frequenter hac utuntur abundantia praepositionum. Terentius in *Andria* (123):

"Accedo ad pedisecas".

(2) Idem in *Eunucho* (791):

"Nunquam accedo ad te, quin doctior abeam".

Idem in eadem (Eun. 578):

"Edicit ne uir quisquam ad eam adeat".

Idem in *Andria* (315):

"Adeo ad eam".

Idem in eadem (319):

"Ad te aduenio".

Virgilius in V^o (*Aen.* 5, 321-22):

"Spacio post deinde relicto

Tertius Eurialus".

Idem in VII^o (*Aen.* 8, 546):

"Post hunc ad naues graditur sociosque reuisit".

(3) Praepositiones deficiunt. Virgilius in VIII^o (*Aen.* 9, 477):

"Euolat infelix et femineo ululatu",
deest *cum*. Virgilius in VII (*Aen.* 5, 414):

"His magnum Alciden contra stetit his ego suetus",
deest *cum*. Aliae pro aliis ponuntur, ut Virgilius in primo *Aeneidos* (1, 750):

"Multa super Priamo rogans super Hectore multa",
super Priamo pro de Priamo. Idem in primo *Georgicorum* (3, 401):

"Sub lucem exportant Calatis",
pro ante lucem.

»[13] Coniunctiones quoque tam apud nos quam apud illos modo abundant, modo deficiunt, modo aliae pro aliis ponuntur. Abundant, ut (Verg. *Aen.* 1, 5)

"Multa quoque et bello passus",

Deficiunt, ut Virgilius in III^o *Aeneidos* (4, 594):

"Ferte citi flammis, date tela, impellite remos".

(2) Aliae pro aliis ponuntur, ut *quod pro uel et at pro saltem*. Virgilius in I *Aeneidos* (2, 36-37):

"Aut pelago Danaum insidias suspectque dona
praecipitare iubent subiectisque urere flamis",

-*que pro uel*. Terentius in *Eunucho* (75):

"Si nequeas paulo aut quanto queas",

at dixit pro saltem.

»[14] Aduerbiorum uero quaedam sunt quae cum supradictis omnibus accidentibus, scilicet diuersis numeris et generibus et casibus et temporibus et personis, etiam indifferenter ponuntur, ut *non, bene, male, recte*. Sunt alia aduerbia quae non possunt omnibus copulari, ut *o*, quando est uocatiuum et *heus*. Nam alii casui non adiunguntur nisi nominatiuo. (2) Alii uero soli accusatiuo, ut *pone tribunal* uel *pone domum ultra fines*. Quaedam ablatiui ut *coram iudicibus*, quod etiam in praepositiones accipiendae quae sine causalibus proferri non possunt sepe; ut *in illum, per illum, pro illo, sub, de, ab, ex*. (3) Nam *pone et coram* possunt etiam sine causalibus proferri et aduerbia sunt. Virgilius in 2^o *Aeneidos* (2, 725):

"Pone subit coniunx ferimur per opaca locorum".

Idem in 1^o (*Aen.* 1, 595-96):

"Coram, quem quaerimus, assum,

Troius Aeneas".

(4) Sunt aduerbia quae diuersis personis non conueniunt ut *eia* Virgili in IIII *Aeneidos* (3, 569):

"Eia rumpe moram uarium et mutabile semper
femina",

ad secundam enim dicuntur solam.

»[15] Sunt aduerbia quae diuersis temporibus adiungi non possunt ut *heri feci, nunc facio, cras faciam*. Sunt quae singulis modis sociantur per omnes personas, numeros et tempora, ut *utinam* optatiuus, sed haec de aduerbio in loco latius tractabitur.

»[16] Coniunctio quoque communiter cum omnibus supra dictis inuenitur. id est generibus et casibus et numeris et temporibus et personis, ut *uir et mulier uirorumque et mulierum, et doceo et docui et docebo, ego et tu et ille. Si facio, si faciam, si facerem et si faciebam; si facerem, si feci, si fecissem, si feceram, si fecero et si faciam*. De *alleothota* et uariis diuersisque partium orationis positionibus iuxta Prisciani auctorem plene dixisse puto. Ad Salustii textus pro qualitatibus pronominum copiosius explanandis deinceps remeabo.